DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

DIGITALI PVRPVREA

QVAM

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE XV AVGVSTI MDCCLXXXVI.

DEFENDET

CAROLVS CHRISTIANVS SCHIEMANN

CVRONVS.

GOETTINGAE

TYPIS JOANNIS CHRISTIAN. DIETERICH.

VIRO ILLVSTRI

PRAENOBILISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DOMINO

GEORGIO HENRICO
BARONI DE WITTENBVRG

SERENISSIMI CVRLANDIAE ET SEMGALLIAE DVCIS

PHARMACOPOLAE AVLICO

FAVTORI SIBI SEMPER COLENDO

HASCE STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

D. D. D.

DEVOTISSIMVS ET OBSTRICTISSIMVS CVLTOR

SCHIEMANN.

DE

DIGITALI PVRPVREA.

PRAEFATIO.

Si Lectores hancce inſpicient diſſertationem, eamque de Digitali purpurea inſcriptam legent, non dubito, quosdam fore, qui, qua re adductus in magna argumentorum copia ad elaborandam diſſertationem hoc potiſſimum elegerim argumentum, mirentur. Hi igitur praemonendi ſunt, me in

primis id in materia eligenda ſpectaſſe, vt, quantum pro virium modulo fieri poſſet, maxime ſalubris et eam ob cauſſam quoque memoratu digniſſimae plantae cognitio propagetur, et eius vſus reddatur magis communis. Quid enim conuenientius et vtilius eſſe poteſt, quam vt recens repertae medicinales vires, plantae, antea ignotae, quibus efficaciſſimorum augetur remediorum numerus, et quae, repetitis factis experimentis, viris probabuntur experientiſſimis, vbiuis magis vulgabuntur commendabunturque? — Witheringii, Viri Cl., opere de Digitalis in hydrope adhibitae diuretica efficacia, praeclare ſcripto et prelis excuſſo, ad hanc plantam deſcribendam pronior ſum factus et excitatus. Labore iam ſuſcepto, et ex parte quadam confecto, duas eius libri verſiones vernacula lingua inſtitutas,

typis

typis iri impreſſas certior ſum factus. Quid mihi nunc eſſet faciendum, ambiguus eram. Temporis breuitate, quod relictum erat excluſus, nouam et integram ad exarandum ſumere materiam mihi non licebat; optimum igitur ſum ratus, potius incepta ad finem perducere, praeſertim cum ſpes, fore, vt vim illius magis perſpicue intelligerem, experimentis a me inſtitutis, non deeſſet; ſed vna tantummodo huius plantae experiendi vim mihi obtigit, in quodam hydrope laborante, occaſio, cuius morbi hiſtoriam infra addidi. Ex experimentis ab amicis factis, atque mecum communicatis, Viri experientiſſimi et doctiſſimi D. Brandis experimenta nunc modo ſunt nominanda. — Chemica quod pertinet ad experimenta, omni cum cura inſtitui. Sed quominus ſingulas reliquas plantae particulas v. c. ſemen,

flores,

flores, pari modo examinarem, temporis breuitate ſum impeditus: eadem eſt cauſa, cur iam incepta in brutis beſtiis experimenta praeteream, quae in hunc inprimis inſtitui finem, vt tutum inueniretur remedium ad mala ex nimia plantae copia orta, pellenda. Quae omnia in aliud deponam mihique reſeruabo tempus.

---

§. I.

§. I.

Antequam ad ipſam plantae atque eius indolis ac naturae disquiſitionem me accingam, non ſuperuacaneum mihi eſſe videtur, de eius antiquitate et apud veteres vſu paucis diſſerere. Quod ſi igitur eius cognitionem, quam antiquiores fortaſſe de ea habuerint, indagabimus, plane nulla comprehendemus veſtigia expreſſa, quorum auxilio certi aliquid de aetate et apud antiquos celebritate conſtituere poſſimus. Quaecunque vero indicia luminis aliquantulum indagationi adferre a quibusdam putantur, ſpiſſa caligine et tenebris ſunt inuoluta. Sunt quidem, qui exiſtiment, eius naturam atque vires iam Dioſcoridi et Plinio hiſtoriarum naturae ſcriptori, ſagaciſſimo in perſcrutandis naturae viribus fuiſſe notas: Columna enim eandem cum Dioſcoridis Ephemero eſſe opinatur *a*). Εφημερον ſiue ἴρις ἀγρια, inquit Dioſcorides L. 4. c. 85., caulem et folia lilii habet, ſed haec tenuiora: flores candidos, amaros. ſemen molle, radicem vnam, digitali craſſitudine, longam, adſtringentem, odoratam. Plinius Hiſtoriarum natur: L. 25. c. 13. de Ephemero hunc in modum diſſerit: Εφημερον folia habet lilii, ſed minora, caulem parem, florem coeruleum, ſemen ſuperuacuum, radicem vnam digitali craſſitudine. Caſparus

a) Ex *Parkinſon* theatr. botanic. p. 653.

ſparus Bauhinius huius Ephemero praeterea addit Mathioli et Lobelii ephemera quae antea ipſe vtraque ignorat.

1) Ephemeron, quod aliqui ſylueſtrem Irin appellant. Math. Lacunae. Coſt. deſc.

Ephemeron non lethale Mathioli. Lug. Tab. Ephemeron Mathioli ex ſpuriis oppoſitis plantis eſſe videtur. Colum.

2) Ephemeron Mathioli, vel potius Ephemerum ſpurium, Lob. Dod.

Sed Caſp. *Bauhinus* valde dubitat, an hae duae eaedem ſint plantae, cum illi folia lilii et radix vnica digitali craſſitudine tribuantur: huic vero folia et radix Iſatidis adſcribatur, imo figurarum nulla eſt ſimilitudo et Lobelii potius Lyſimachiam aliquam refert *b*), Aliam ac diuerſam Dalechampius apud Plinium amplexus eſt coniecturam, eandem a Plinio Calathianam Violam adpellari, ſic enim enuntiat *c*): Calathianam ego puto eſſe digitalem luteam, flore luteo, Calatho ſimilem.

In tanta opinionum et coniecturarum ad plantae antiquitatem pertinentium diuerſitate, nihil prorſus certi et firmi conſtitui poſſe cuiuis facile apparet. Sed quid iuuat, diutius hiſce in tenebris verſari, cum doctiſſimi iidemque ſagaciſſimi perſcrutatores nihil amplius, niſi meras attulerint coniecturas. Extra omnem quidem eſt dubitationem, et nullo negari poteſt modo, nos inde a Fuchſii aetate plantae noſtrae notitiam habere accuratam.

§. II.

b) C. B. 244.

c) Plinii hiſt. natur. Cap. VI. L. XXI. lin. 24. Adnotat. d. p. 487.

§. II.

Profecto mirum esse videtur, Fuchsium Digitalis purpureae, neque accuratiorem, neque magis distinctam, memoriae tradidisse descriptionem, quam iure quidem ab eo exspectare poteramus: pauca modo commemorat: esse caulem teretem et in vnius cubiti longitudinem extensum, in caulis latere inde a media parte ad fastigium flores ipsum circumdare, et quod ad illius aspectum attineat externum, digitali s. dactyliothecae esse similem, fuscam seu luteam: floribus vero decidentibus, semen latum et aliquantulum oblongae figurae sese ostendere, in fronte extensum apicem habens, superne bifidum, radicem esse nigram et fibris textam *d*). Hoc quoque animaduertendum esse puto, Fuchsium ob eximiam formam externam plantam hanc in systema recepisse, et ipsam ab illo accepisse nomen ab eius forma deriuatum.

Apud Casp. *Bauhinum e*) ipsam in Digitalis folio Verbasci diuisione, et nomine Digitalis purpureae folio aspero insignitam inuenies, qui simul synonyma eius commemorat haec: Campanula syluestris Tragi: Digitalis rubra. Dod. gal. purpurea Fuchs. Ang. Gesn. hort. et ap. Lon. Dod. Ad Lob. Lugd: Cam: Taber. Ger. Aralda bononiensibus. Gesner hort. Verbascum digitale Costaeo. Virga regia maior flore purpureo Caes. Ephemeri alia species maior. Col.

Joh. *Bauhinus f*) Digitalem purpuream cognominauit, eamque tali descripsit modo. — "Est vbi cubitos duos superat Digitalis purpurea, caule pollicen crasso, anguloso, hirsuto, subru-

d) *Kräuterbuch.* cap. 345.

e) L. c. p. 243.

f) Historia plantarum p. 812.

ſubrubente concauo, ex radice fibroſa, amara: flores in thyrſi longioris morem, frequentes, ab vno caulis latere penduli, breuibus hirſutis pediculis, quorum ſingulis eſt oppoſitum foliolum acuminatum, calathi aut digitalis ſartorii munimenti effigie, colore foris coccineo, excepta inferiore parte, quae propter nonnullam admixtam albedinem carneo praedita eſt, intus vero ſimiliter purpurei, inferiore parte (quae longis pilis obſita eſt) verſicolore albis maculis nigro guttatis: floris baſi penitus ad naſcuntur ſtamina alba aut purpuraſcentia, contorta, quae apices didymos croceos guttatos ſuſtinent. Stylus tenuis purpuraſcens ex hirſuti oblongique pericarpii biualuis mucrone protenditur, cui poſtea incluſum continetur ſemen minutum. Folia Verbaſci opinionem recte ſuſtineant oblonga, in acumen deſinentia, hirſuta, in ambitu ſerrata, ſuperne atrouirentia, inferne incana: quae ad radicem ſunt, longis nituntur pediculis, quae in caulibus nullo ordine poſita crebra. Calix floris plerumque quinque folius. Floris margo in quinque diuiditur ſegmenta." Eandem quoque deſcriptionem e Johannis *Bauhini* libris excerptam legis in hiſtoriis plantarum a Raio ſcriptis *g*).

§. III.

Neminem fore puto, qui dubitare queat. quin medico diſtincta et botanica plantae, in praxi medica adhibitae, notitia maxime ſit neceſſaria. Quoties enim fieri ſolet, vt plantae diuerſae quidem miſceantur et commutentur, cum aliis vim alienam imo contrariam exſerentibus. Haud quidem negandum eſt, hac ratione medicam plantae efficaciam et ſalutarem interdum eſſe repertam, quae antea plane erat ignota, et fortaſſe per diuturnum adhuc latuiſſet tempus. Verum tamen incuria et negligen-

g) p. 767. hiſt. plant.

gligentia in accurata adipiſcenda plantarum cognitione hoc excuſari non poteſt; caſu enim fortuito et ſecundo accidit. Quis eſt vero, qui mala e tenui plantarum cognitione ſaepiſſime orta non ſtatim videat? — Ante omnia autem ſaepiſſime Digitalis purpurea cum Verbaſco commutari ſolet. Sic Celeb. Withering amborum folia inter ſe confundi animaduertit, eadem accidere poteſt permutatio cum Symphyto. Ego quidem id experientia edoctus ſum, cum aliena folia ad experimenta a me inſtituenda, ab illis ſint adlata, quibus colligendi ea negotium mandaueram. Equidem ſuſpicor, cum quarumdam Conyzae ſpecierum foliis facile quoque poſſe confundi.

Cum igitur maxime ſit verendum, ne, vt modo vidimus, eiusdem generis cum aliis commutetur plantis, deſcriptionem non ſuperuacuam eſſe cenſui.

§. IV.

Deſcriptio Digitalis purpureae Linn. *ex comparatione plurium exemplorum ſponte creſcentium h*).

Radix ramoſo-fibroſa, fibris longis horizontalibus, ad baſin ex reliquiis foliorum ſquamoſa, tenax, alba, epidermide ſordide lutea.

Caulis ſimplex (et vix niſi in planta culta ramoſus), bipedalis et vltra, calamum cygneum craſſus, aſcendendo ſenſim anguſtior, ſubangulatus ex deſcendente coſta foliorum, ceterum teres, erectus, ſtrictus, tomentoſus, purpuraſcens, fiſtuloſus, folioſus.

h) Non poſſum non animaduertere, hancce plantae deſcriptionem a me exaratam, ab Illuſtri Equite Murray, Praeceptore venerando, emendatam et auctam eſſe.

Folia plurima, in planta florente modo caulina, antea et radicalia multa, ouato - oblonga, ſupra viridia, ſubinde purpureo - nigricantia, ſubtus tomentoſo - incana, mollia, acuminata, inaequaliter crenata, venoſa, patentiſſima, alterna, baſi contracta, ſubdecurrentia: ſuperiora ſeſſilia; amplexicaulia, inferiora degenerantia in *petiolum* alatum coſta carinata, dilute purpureum, tomentoſum.

Infloreſcentia: Racemus terminalis, caulis (et ramorum, ſi adſunt) ſecundus, multiflorus, ſubinde adeo pedalis, floribus dependentibus, inferis.

Pedunculus communis tomentoſior, teres.

Pedicelli teretes, apice incraſſati et cernui, lineas duas longi, villoſi, ſolitarii, alterni, per maturationem fructus erecti et ſtricti.

Bracteae ſub hiſce ouato - lanceolatae, acuminatae, integerrimae, pubeſcentes, lineatae, reclinatae, amplexicaules, pedunculis paullo longiores.

Calyx quinquepartitus, patens, pubeſcens, lineatus, perſiſtens, laciniis quatuor inferioribus ouatis acutis, ſuperiori lanceolata, acuminata.

Corolla monopetala, recurua, ſesquipollicaris, ex tubo ſubcylindrico albo, calycem aequante, ventricoſo - campanulata, extus purpurea, intus deorſum notata maculis ocellatis albis, centro profunde rubro, et pilis longis albis; limbo quadrifido inaequali, ſubringente, pallidiori, cuius lacinia ſuprema truncata, vix emarginata, laterales ſemicir-

micirculares minimae, infima reliquis magis protuberans, omnes obtufae.

Stamina quatuor, quorum duo longiora reliquis, corolla dimidio breuiora: *Filamenta* tubo corollae inferta, tum incurua, furfum verfa, alba, compreffa, linearia; *Antherae* deorfum bipartitae, luteae, purpureo-maculatae, oblique infidentes, particula quauis ouato-oblonga, fubcompreffa.

Piftillum vnum, ftaminibus paullo longius: *Germen* ouato-oblongum, villofum; *Stylus* furfum afcendens, fubteres, pubefcens, purpurafcens; *Stigma* bifidum, laciniis patulis.

Capfula ouata, mucronata, fulco vtrinque duplici, biualuis, bilocularis.

Semina numerofa, parua (HALLERVS ea vocat fere quadrata, quam quidem figuram iam, quum nondum matuerint, determinare nequeo).

ANIMADVERSIONES.

Cultura vt in horto botanico confpicere vacat, planta ramofa fit ramis multis, alternis, circiter dodrantalibus, faepe inflexis, patentiffimis, quaquauerfum directis, tum tam fpeciofa, vt inter elegantiffimas coronarias locum mereatur. Hirfuties omnium partium in planta culta quoque maior.

§. V.

Caeterum Digitalis purpurea non inter rariffimas numeranda eft plantas; maxime amat vias, montes, valles humidas,

das, ſyluas et ericeta *i*) in aggeribus, terra conſtantibus, ruderibus *k*), in lapidoſis et arenoſis (grovelly) regionibus crebro naſcitur; rariſſime vero et fere nunquam ſolo terra calcarea ſeu lapidibus ſubſtrato *l*).

Vt exemplis illuſtrem, Gesnerus eam reperit ad Coire' La Chenal ad Badenweiler et in adſcenſu montis Ballon. Diuernoi circa Neufchatel *m*). Inuenitur etiam in Sylua, quae dicitur *Schwarzwald*, in monte Idar, vbi carbones comburuntur, et circa officinas in quibus ferrum cuditur. *n*) in monte Inſelsberg dicto ad pagum Waltershauſen et apud Giſam in monte Diesberg. *o*) ad Girarmegni, vbi fodinae argenti ſunt, ad Mosmünſter quoque et. S. Thamarix in Monte Rosberg, etiam in montibus circa thermas plumbarias *p*) in Chriſtianſand et Bergenſtift in Norvegen. *q*) habitat a Leſperou *r*) creberrima in campis Pariſios circumiacentibus, deprehenditur. In Hercynia plurimis ac diuerſis in locis, atque in ſyluis remotiſſimis eam reperit Hallerus. *s*) praeterea in Anglia quoque ſaepe reperitur ad vias ſepimentis cinctas *t*) in Belgii locis ſaxoſis, vmbroſis in montium conuallibus, et vbi ferri

i) Lewis materia medica 275, Dalei pharm p. 214.
k) Moriſon Flora danica I. pars 1.
l) Lewis l: c.
m) Ex Halleri hiſtor. ſtirp. heluet. indig. Bernae 1768. T. I. p. 143.
n) Tragus l. c.
o) Rupp. flora jenenſ. I. p. 767. Edit. Hall.
p) J. Bauhin l. c. 813.
q) Moriſon l. c.
r) Gouan flora monſp. 1767. p. 99.
s) Rupp. fl. jen. l. c.
t) Blackwell herb. T. 16.

ferri et Lytonthrocum fodinae vicinae ſunt, ſponte exit *u*). Barielleri in Gallia quoque vidit, nec non in Hiſpania, et in Italia *x*). Haud longe ab vrbe Göttinga naſcitur, inprimis frequenter ad Viſurgim circa Mündam, auerſa parte eorum montium inueni, qui ab parte inferiori lapidibus incluſi ſunt, proxime ad viam.

Inter omnes conſtat, hanc herbam duos annos durare; floret a medio Junio vsque ad extremum Julium, interdum tamen ſerius etiam floret, quemadmodum Joh. Bauhinus menſe Octobris eam adhuc inuenit.

§. VI.

Digitalis, de qua ego diſputo, ſyſtemate ſexuali ob quatuor, quae habet ſtamina, quorum duo longiora duo autem breuiora ſunt, Claſſi decimae quartae, Didynamia appellatae, et eiusdem ſecundo adnumeratur ordini ac diuiſioni, cui nomen angioſpermia eſt, quia ſemina pericarpio tecta ſunt. Cuius generiseſſentiales characteres hi ſunt: Calix quinque-partitus. Corolla campanulata, 5-fida, ventricoſa, Capſula ouata, bilocularis *y*). Ill. Eques Linnaeus Digitalis ſpeciem, purpuream dico, hoc definit modo. — "Calycinis foliolis ouatis, acutis, corollis obtuſis: labio ſuperiore integro *z*), corollae venter intus adſperſus maculis ocellaribus, folia rugoſa.

Caete-

u) Dodonaei pempt. ſtirpium hiſtor. 169.

x) Obſeruat. 187. p. 20. plant. p. Gall. et obſeruat.

y) Linné Syſtema vegetabilium: Edit. XIV. curant. Ill. Equit. Murray p. 562.

z) L. c. I. flora danica t. 74.

Caeterum ad numerum earum pertinet plantarum, quas Eques Linn. Luridas cognominauit; et inter plantas ſolanaceas numeratur.

§. VII.

Liceat mihi quaedam Synonyma ad ea, quae iam C. Bauhinus memorauit, addere. Solemne eſt Digitalis purpureae nomen, quod in plurimis offendimus ſcriptoribus v. c. Raius *a*), Rupp *b*), Vaillant *c*), Tournefort *d*), Gouan *e*), Hoffmann *f*), Zwinger *g*), Blackwell *h*), Boerhaave *i*), deinde Digitalem folio aſpero-flore albo Plucknet *k*) eam appellauit. Digitalis purpurea vulgaris a Parkinſon *l*) eſt nuncupata; purpurea et lutea a Trago *m*). Nola ſylueſtris ab eodem. Digitalis flore rubro ab Heiſtero *n*), Rivino *o*). Digitalis purpurea maior ab Valentino *p*). Digitalis foliolis calycinis ouatis acuminatis ab Hallero. Nonnulli quoque ab ſimili-

a) Hiſt. l. c.
b) Fl. ienenſ. l. c.
c) Botanicon parienſe p. 47.
d) Inſtitutiones rei herbariae p. 165.
e) Fl. Monſp. p. 99.
f) Hortus Lugd. Batav. p. 220. 1687.
g) Theatr. botanic. p. 853.
h) Herb.
i) Hiſt. plant. p. 228.
k) Almageſt p. 131.
l) Theat. p. 653.
m) p. 700.
n) Index plant I. 12.
o) Introd. p. 91.
p) Virid. reformat. p. 101. tab. 58.

ſimilitudine, quae inter ipſam et Verbaſcum intercedit, tantummodo Verbaſcum *q*).

Sicuti conducit multiplicia plantae cuiusdam botanica cognomina bene cognita habere, quae ipſi a diuerſis tributa ſunt ſcriptoribus, quo aptius et magis idoneum hoc aut illud ipſis viſum eſt; ſic quoque prodeſſe poteſt, nomina in aliis linguis ſolemnia noſſe: Graeco ſermone nuncupatur Δακτυλιτις a δακτυλος quod digitum deſignat. Italico Aralda, Gantelli. Gallico, Doigtier, Digitale, Gent de notre Dame. Anglico Fox-glove. Belgico Vingerhoedskruid. Danico *Fingerurt*, *Fingerbølle*. Rebbiøller, Robiøller, Raevebiøller, Fingerhet, Revebieldeſtröm *r*) Ungarico Vyſiugyzeuſiu *ſ*) Vernacula Lingua *Fingerhut*, *Fingerkraut*, *Waldſchelle*, *Waldglöcklein t*) *Spitzwundkraut u*) in Hercynia *Geſchwulſtkraut.*

De multis iconibus et quibusdam figuris aeri inciſis, quae partim in Fuchſio, Trago, Dodonaeo partim in Gerardo, Parkinſonio, Tournefort: et pluribus aliis inueniuntur, delineationes a Regnault Besler in horto Eiſtettenſ. et Withering impreſſae etiam notatu ſunt dignae; et Curtis flor. Londinenſ. egregiam figuram iconibus pictis praeſtitit.

q) Ex Fuchſio p. 700. Nonnulli θρυαλλιδα nominant et Verbaſci ſpeciem faciunt quae λυγνῖτις dicitur: Dod: p. 169. l. c. J. Bauh. l. c. p. 812. Sed lychnitis ſiue thryallis folia habet pinguia, craſſa et hirſuta ad Elychnia in Lucernis apta. Plinius hiſt. l. c. p. 570. 47. qualia minime Digitalis, cuius tam craſſa aut hirſuta non ſunt vt Ellychnii Vicem explere queant: Dod. l. c.

r) Moriſon l. c.

ſ) J. Bauhin l. c.

t) Tragus l. c. p. 13. l. c.

u) Simon Pauli quadripartitum botanic. p. 284.

§. VIII.

Interdum floris variationem deprehendimus cum albo colore *x*). Inde factum eft, vt a quibusdam, fingularis fpecies haberetur: fed falfo: praeterea haec varietas eft rariffima; nam e millibus vix vnam plantam reperies, flore albo infignem *y*) funt plures fcriptores, qui eandem tuentur fententiam. Rivinus v. c. vnam eandemque effe exiftimat *z*). Secundum illam opinionem varietatem flore albo infignem, fingularis effe fpeciei, exiftit Digitalis flore magno candido Joh. Bauhini, alba maior Valentini, Parkinfonii, alba folio afpero C. Bauhini, alba Gerardi; — Rajus loco laudato quasdam praeter eas commemorat varietates Parkinfonii *a*).

1) Meminit nempe alterius adhuc Digitalis albae fpeciei, quam digitalem albam alteram: f. minorem appellat, cui folia praecedenti quidem fimilia tribuit, verum minora paulo et breuiora, obfcurius virentia; caulem humiliorem vix tripedalem. Flores minores: in reliquis conueniunt.

2) Digitalis maior flore carneo eiusdem Parkinf. a vulgari purpurea foliis paulo minoribus differt: floribus quoque minoribus, Dilutius rubentibus f. carneis.

3) Digitalis media flore luteo rubente eiusdem. Mediae eft magnitudinis inter Digitales maximas et minores, foliis lutea

x) Regnault. botanique mife a la porteé de tout le monde. p. 190.

y) Rajus l. c.

z) p. 19. Digitalis flore albo vel purpureo.

a) Editione Parkinfonii quam ad manus habui Londini 1643, impreffa hae quidem fpecies adnotatae non erant, auctor tamen ipfe addidit, fe antiquiori Editione eas adnotaffe, quam equidem accipere nusquam potui.

luteae minoris aliquatenus aemulis, quam praecedentis minoribus, floribus longis, anguſtis, Digitalis albae alterius ſ. minoris fere magnitudine, colore aut Baetico rubore velut perſuſo, quem colorem nos tawnen appellamus, et aurantiis non nullis cernitur.

Alia adhuc ſupereſt Digitalis ſpecies purpureae ſimillima, videlicet Digitalis thapſi *b*), cuius folia decurrentia differentiam adhibent aliquam. Quod autem ad effectus attinet, Digitalis lutea cum purpurea inter ſe conuenire poſſe mihi quidem videtur. Experimenta id ſpectantia, quantum mihi conſtat, inſtituta in ea non ſunt. Quibus differat ab iſta Digitalis ambigua Linnei: ſiue Digit. lutea magno flore C. B. valde illi ſimilis, abunde indicauit Ill. Eques Murray in Deſignat. ſtirp, Gotting. p. 62. cuius deſcriptione inductus Cl. Eques a Linné illam et iure ciuitatis tandem donauit, et nomen triuiale ab Ill. praeceptore primum datum recepit.

§. IX.

Analyſis chemica.

Viridium foliorum XIV Vnciae expreſſae caerulei ſucci decem vncias reddebant, aliquot diebus poſt pars craſſior imum petens, quartam aquae ſubfuſcae ſuperantis partem paene aequabat. Leni euaporatione inde redierunt drachm. IX. ſatis continentis extracti.

Viridium foliorum Vncia vna, frigidae aquae libra vna infuſa, poſt quadraginta octo horas tenue flaueſcens infuſum paululum acerbi ſaporis praeſtitit: Spiritus vitrioli infuſioni immixtus

b) Linné ſyſt. vegetab. l. c. N. 3.

mixtus nullam effecit mutationem, infusum panno transmissum et temperato calore euaporatum subfuscum, acerbissimum saporis praebuit extractum, pondus scrupl. II. aequans. Folia quae supererant drachm. vj pondus habebant. — Infusum secundum lucidius aspectu erat, tamquam aqua in eluendis vasis adhibita, parum acerbe sapiebat et extracti gran. XXI. reddebat. folia relicta ponderis erant ʒjjj gran. XXV. — Infusio tertia fere albescens esse putabatur, eique aliquantulum modo acerbi saporis inerat; extractum gr. XII efficiebat. Folia remanentia ʒjj grvj ponderis habebant. — Quarta vice infusum omnino lucidum conspiciebatur, acerbum amiserat saporem, et Extracti gr. vij. praebuit. reliquiis Vnc. vj. vini Gallici infundebantur; inde infusum ipsum satis acerbum accipiens saporem, ʒß Extracti reddebat, reliquiae ʒj℈j ponderis erant. Secunda minus amara infusio Extracti gr. XXV. faciebat.

Foliorum recentium vna Vncia libr. vni calidae aquae immixta per quadraginta octo horas. Infusio coloris subfusci, aspectum, sicuti cereuisia tenuis, habebat, sapore prioribus acerbior erat. Spiritus vitrioli immissus nihil attulit mutationis. Leniori euaporata calore Extractum prouenit subfuscum ponderis Scrupl. jjß. Folia remanentia pondus ʒvjß habebant. — Secunda leuior erat infusio, minus acerbitatis habebat, et Extractum ʒß gr. V. efficiebat, reliquiae aequabant ʒv℈j. — Tertia vice infusioni nihil fere acerbi supererat, lurida specie et inspissata ℈j gr. IV fecit, folia remanentia ʒjjjß aequabant. Quarta vice infusa nihil saporis adferebat, insulsum potius, lucidum omnino, etpraestabat gr. xjj Extracti.

Spiritus vini rectificatissimus tincturam fecit caeruleam quae inspissata, Extracti gr. jv reddebat.

Vncia

Vncia vna recentium foliorum ℔j vini gallici per 48 horas infufa acerbam et linguam mordentem, fubfufcam faciebat infufionem, eiusdem fere cum vino coloris. Spiritus vitrioli nullam adferebat mutationem. Infufum infpiffatum ʒjjß fufci Extracti exhibebat, folia vero refidua ponderis ℥ß ℈jj. Altera vice infufa minus acerbam exhibebant infufionem, cui Extractum ʒj℈ij inerat. refiduum aequabat ʒjjj gr. jv. — Tertia vice infufa, infufionem reddebat magis fubdulcem et conftringentem, quam acerbam. Extractum ʒj aequale erat, folia refidua ponderis erant ʒjjß. — Quarta vice infufa, badiam, minus acerbam, infufionem, reddebat, cuius Extractum ℈jj aequabat, refiduum ʒj℈jj pondus habebat. — Quinta vice infufionis tinctura minus acerba, badia fpecie, reddebat ℈j extractum: folia refidua ʒj ponderis. Qui fp. vino rectificatiff. infundebantur, ex quo caerulea, aliquantulum conftringens tinctura oriebatur; Extractum gr. vj ponderis erat.

Foliorum recentium, vncia vna cum ℔j Spirit. vini rectificatiff. per quadraginta octo horas infufa, pulchram caeruleam faturatam, acerbam reddebat tincturam, aqua, aliquantulum lactea reddebatur, Spiritu vitrioli, obfcurior. Leniter euaporata infufio Extracti caerulei ʒjß exhibebat; refidua folia ʒv. ponderis erant. — Infufio altera vice inftituta paullifper flauens, aliquantulum caerulea videbatur, adftringens, atque Extractum minus caeruleum ℈j ponderis praebuit, refiduum adhuc ʒjjjß pondus habebat. — Tertia vice facta ex infufione tenuem fubflauefcentem, parum acerbi faporis accepi tincturam, modo gr. vj Extracti. refidua folia aequabant ʒjjß. — Infufio e refiduo cum ℥vj vini Gallici accepta adhuc ℈jj Extracti haud parum continentis praebebat.

Ex

Ex Vncia vna foliorum recentium et ℔j optimi aceti vini per quadraginta octo horas infuſio acerbam ac fuſcam reddebat tincturam, ex qua ʒj℈j Extr. obtinui folia reſidua ponderis ʒvj habebant. — Infuſio ſecundaria aliquantum erat clarior, haud parum acerbi ſaporis, Extractum ʒj aequabat, reſiduum vero ℥ß. — Tertia infuſio haud minus amaritudinis habebat, atque duos ſcrupl. Extracti reddebat; reſiduum ponderis erat ʒjjj. — Infuſioni quarta vice factae parum acerbi inerat, et Extracti gr. xxjj redierunt, reſiduum vero ponderis ʒjj℈j erat. E quinta accipiebantur infuſione Extracti gr. vjj. Spiritu vini rectificatiſſimo, tinctura ſatis viridis reddebatur, quae Extracti gr. vj efficiebat.

Pulueris vncia vna, ℔j aquae frigidae per 48 horas infuſa; ſubfuſcam, turbidam, acerbam, linguam conſtringentem effecit tincturam, ex qua leniter inſtituta euaporatione ʒjß Extracti remanſit; reſiduum ʒvj℈ß erat ponderis. — Altera vice ſatis adhuc acerbi ſaporis et obſcurum accipiebatur infuſum, quod ℈jj gr. xjj Extracti praebuit; puluis reſiduus aequabat ʒv. — Tertium inſtituta infuſione, aſpectu badia, minus acerba, leni euaporatione Extracti gr. xxvj ponderis nanciſcebar, reſiduum pondus ʒjv gr. xjj habebat. — Quarta vice infuſio paululum acerba reddebatur, et Extracti gr. xj exhibebat. reſiduum vero ponderis ʒjjjß erat. — Quo ex reſiduo et ſpiritu vini rectificatiſſimo ℥vj coniunctis, infuſio facta fuſca videbatur, et continebat gr. xvjjj Extracti, reſiduum ʒjj℈jj aequabat.

Pulueris Vncia vna feruidae aquae per 48 horas immixta, fuſcam, valde acerbam conſtringentem fere ſubdulcem reddebat infuſionem, Extracti ʒjj in ſe continentem. reliquum

quum aequabat ʒvj. Infufio fecundaria paulum minus clara erat, haud parum acerba, conftringens, et ʒj gr. xjv Extracti faciebat; refiduum aequale erat ℥ß gr. xxxjj. — Tertium infufum, lucidiorem, fufcam, minus acerbam, efficiebat infufionem, quae ℈jj Extracti continebat; refiduum aequabat ʒjjj — Quarta clarior minus amara infufio gr. xxjj Extracti afferebat; refiduum ʒjj℈j aequabat. Quinta vice infufio Extracti g. xj exhibebat.

Pulueris vncia vna ℔j vini gallici per 48 horas infufa, amaram adftringentemque effecit tincturam, fpiritu vitrioli aliquantulum obfcuriorem, aqua vero lacteam factam atque ʒjjj Extracti conficiebat; refiduum ℥ß℈jjß erat ponderis. — Secunda rurfus amara tinctura Extractum ʒjj℈ß ponderis effecit; refiduum ʒjjj aequabat. — E Tertia infufione fatis adhuc amara ʒj gr. xjv reddebantur Extracti, reliquum ʒjj erat aequale. — E quarta ℈jj accipiebam Extracti; refiduum ʒjß aequabat. — Quinta ipfa infufio parum amari adhuc habebat, ac gr. xxjjj aequabat Extract. refiduum ʒj gr. xjv ponderis erat. — Sexta gr. xjj Extracti reddebat. — Spiritus vini rectificatiffimus tincturam adhuc viridem dedit, quae Extracti gr. vj reddebat.

Pulueris Vncia vna, ℔j fpirit. vini rectificatiff. 48 horas infufa, pulchram ac fatis viridem efficiebat tincturam, quae ob eminentem fpirit. vini acrimoniam haud fatis amara effe videbatur; aqua immixta lactea, fpiritu vitrioli obfcurior reddebatur. Extracti vifcidi ac fubuiridis ʒj℈j emittebat; refiduum ʒvjß erat ponderis. — Secunda infufio adfpectu lucidior viridis erat. Extractum ℈jj pondus habebat, refiduum ʒvj. — Tinctura e tertia infufione accepta priori fere fimilis erat colore

et ℈j gr jjj praebebat Extracti; residuum ʒv gr xvj ponderis erat. — Quarta vice infusio lucidior erat, et Extracti gr. xv referebat; residuum pondus ʒv habebat. — Quo ex residuo et ℥vj vini Gallici, coniunctis infusio facta, vini seruauit colorem, satis acerbe sapiebat, Extractumque ʒj gr. vjjj exhibebat; residuum pondus ʒjjj℈j habebat. Altera vice vinosa infusio facta haud parum amaritudinis habebat, et Extractum inde acceptum ponderis ℈jß erat.

Pulueris Vncia vna, ℔j aceti vini infusa, badiam ac acerbam reddebat tincturam. Extractum ʒjj℈j accipiebatur; residuum aequale erat ʒvß, altera eundem cum priori habebat colorem, minus amara erat; Extractum reddebat ʒj gr. xxvjjj; residuum ℥ß et grana aliqua ponderis erat. — Tertia clarior parum acerba tinctura ʒj Extracti adferebat, residuum ʒjjj ponderis. — Quarta tinctura subflaua adhuc satis erat amara et Extracti reddebat ℈jj; residuum ʒjj℈ß ponderis habebat. — Quinta minus amara Extracti ℈jß praebuit; residuum aequabat ʒj gr. xxjv. Sexta nihil fere amari habens, Extractum gr. xvj, et residuum ʒj gr. v ponderis reddebat.

Siccatae radicis Vncia vna, ℔j frigidae aquae 48 horas infusa, fuscam fere haud amaram aliquantum vero acerbam infusionem, ʒj Extracti praebentem; residuum ʒvj gr xvjjj aequabat. — Secunda clarior erat, et Extractum ℈jj ponderis reddebat; residuum pondus ʒv℈jj habebat. — E tertia et quidem lucida infusione Extractum redditum aequabat ℈ß; residuum ʒv℈j erat ponderis. — Quarta autem infusio Extracti gr. vj praebebat.

Radicis Vncia vna ℔j feruidae aquae infusa, fuscam haud multum amari saporis infusionem, subdulcem in ore relinquentem saporem reddebat. Extractum ℈jß pondus habebat, residuum

duum ʒvj℈j ponderis erat. — Secunda pallida erat infuſio parum amara et Extracti gr. xxxxjv reddebat; reſiduum ʒv gr. xxjj erat aequale. — Tertia quidem tenuis infuſio gr. xvjjj Extracti efficiebat; reſiduum ℥ß℈jjß aequabat. — Quarta lucida infuſio modo gr. jx Extracti praebebat; reſiduum ℥ß erat ponderis.

Vncia radicis vna ℔j Vini Gallici infuſa amaram nec non fuſcam reddebat tincturam, inde Extractum ʒjj℈j erat ponderis; reſiduum ʒv gr. xxjj aequabat. — Secunda haud minus amara, ſed clarior tinctura ʒj℈jj Extracti reddebat; reſiduum ʒjjj℈ß ponderis erat. — Tertia tinctura lucida, minus amara Extracti ℈jjß praebebat; reſiduum ʒjj gr. xjj pondus habebat. — Quarta infuſio aliquantulum amara Extracti gr. xjx adferebat. Spiritu vini rectificatiſſimo tinctura paululum viridis reddebatur, quae Extracti gr. jjj efficiebat.

Radicis Vncia vna, ℔j ſpirit. vini rectificatiſſ. infuſa, tantum viridi-flauentem tincturam ℈jjß Extracti reddentem; reſiduum ʒvjj erat ponderis. — Secunda infuſio clara quidem, magis autem flauens, parum amara ℈j gr. jv Extract. reddebat. — Tertia plane lucida viſu erat, et gr. xjj Extracti habebat; reſiduum ʒvj ponderis erat. — Quarta modo gr. jv Extracti efficiebat.

Radicis vncia vna, ℔j aceti vini infuſa, non minus amaram et rufam reddebat tincturam ʒjjß Extracti praebentem. reſiduum ʒv℈j ponderis erat. — Secunda infuſio minus acerbi erat ſaporis et Extracti ℈jv habebat. reſiduum ℥ß erat aequale. — Tertia clarior, minus amara tinctura ʒj Extracti reddebat. reſiduum ʒjj℈jjß erat ponderis. — E quarta in-

fuſione gr. xxvjjj accipiebam Extracti; reſiduum vero pondus ʒjjϿj habebat. — Quinta infuſio parum adhuc amari habebat, et gr. jx aequabat Extractum.

Caſu quodam mihi in deſtillatione occupato, accidit vt, omnia accurate et diſtincte obſeruandi mihi eriperetur facultas. Nihil igitur de hac commemorabo. — Si quis fortaſſe plura ad haec pertinentia perlegere cupiat, adeat Geoffroi p. 403. vbi quoque et apud Lemery ſal eſſentiale e foliis acceptum memoratum inueniet.

§. X.

Experimenta ad Digitalis efficaciam pertinentia, et in animalibus brutis facta.

Alacri cuidam cani ſex fere menſes nato a Nonis Junii cibaria duo cochlearia, quae ex ʒj pulueris illius et ℥vijj aquae compoſita infuſione implebantur, quotidie inſtillabam. Duobus diebus interiectis, priſtina eum non deſeruit alacritas, mihique cibum ei ſubpeditanti, et medicamenta danti, ſemper, vt ſolebat ad blandiebatur. Biduo poſt valde erat inquietus, vlulabat itentidem, e laqueo, quo erat ligatus, ſeſe eximebat. Quatriduo praeterlapſo, ſemper erat triſtis, omni fere cibo ſe abſtinebat. Faeces fuſci, interdum flaui rubro commixti coloris erant, ſemper quoque aliquantulum fluentes.

Die nono crebris adficiebatur conuulſionibus, nihil iam commedebat frequenterque vomitabat. Faeces erant fluidae, flauae rubeſcentes; die decimo continuabantur conuulſiones, his intermittentibus, quietus iacebat, extremaque cubiculi in parte ſeſe occultabat. Si ambulare conaretur, modo huc modo illuc

illuc vacillabat. Languebant arteriae ictus, pulfus vix vicefies quater in temporis minuta repetebatur. Minuebantur tamen convulfiones, plane quiefcebat, nihil iam audire videbatur, eoque ipfo die mortuus eft. Corpus eius ad intima vsque exefum erat offa. A feptimo inde die vsque ad extremum tempus paene contracta erant membra, capillique perplexi horrebant. Duobus nouiffimis diebus prorfus fluidae erant faeces, coloris flaui, cum rubris mixti lineis. — Pulmones infectione facta inueni integros, dextro tamen excepto, qui paululum rugofus videbatur. Cor naturale erat, camerae eius fanguine concreto erant refertae. Vefica fellea plena erat lurido felle, renes erant falui, ftomachus omnino vacuus pituita obductus prafina, inteftina tenuia quidem viridibus impleta erant fordibus, craffiora vero, multa tantum pituita prafina, vefica vrinaria mirum in modum contracta, materiae folidae fimilis effe videbatur.

Alteri cani, qui illum annis quidem fere aequabat naturae viribus autem fuperabat, folutionem aquofam ex aquofae foliorum infufionis extractu confiftentem praeparaui, cuius folutionis duo cochlearia minuta impleta fingulis diebus accipiebat, ita vt in vna quaque dofi, gr. jv continerentur. Quamuis per viginti quatuor dies illa fumfiffet, infignis tamen animaduerti non potuit mutatio. Cibi infatiabilem fere habuit cupiditatem, faeces naturaliter erant tinctae, paululum modo fluidiores, quam alioquin inueniuntur. Intra quatuor dierum fpatium triftior effe videbatur. Cum igitur hanc dofin exiguae in eum effe efficaciae animaduerterem, per duodecim dies fcrupuli dimidium fingulatim ei dabam; intra hoc temporis interuallum triftior ille reddebatur, minus cibi, quam antea, fumebat, et plerumque in cubiculi remoto angulo iacebat; fae-

ces ſatis fluidae erant, interdum ſubfuſcae, ſaepiſſime vero coloris cineracei. Nunc quotidie grana jj doſi addebam quae igitur e xjj granis conſtabat, prioribus quatuor diebus omnia, vt ſupra ſeſe habebant ſequentibus autem ſex diebus mirum in modum attenuabatur; cibi habebat valde exiguam cupiditatem, faeces liuidae, ſubrubeſcentibus immixtae erant lineis, quiete ipſe ſe gerebat, triſtis videbatur et cubiculum intrantem oblique adſpiciebat; poſterioribus quinque diebus, crebro ſub fuſcam foetentem euomebat materiam fere fluentem. Faeces mucoſae priorem habebant colorem. Caeterum artus ipſe non mouebat, os ita ſpumabat, vt canis, ſi e vultu tantum coniicerem externo, rabioſi. biduo poſtea, quinquageſimo tertio die, ex quo Extracti ſolutionem ſumere inceperat, morte, haud vehementioribus illam comitantibus conuulſionibus, opprimebatur. Cum eum incidiſſem, pulmones ſatis rugoſos deprehendi, cordis ſinus et ventriculos ſanguine coagulato impletos, veſicam felleam multa et furua bile refertam, renes duriſſimos, ventriculum inanem, liuida obductum pituita, inteſtina tenuia cinerariam variis in locis flauam ſubfuſco mixtam colore in ſe continebant materiem. Craſſiora autem inteſtina erant inania, flaueſcenti pituita obducta.

Catulo quatuor circiter menſes nato, iam ſatis macilento corpore per quatuor dies quotidie tres vncias aquae, e Digitalis purpureae foliis deſtillatae, dabam, at prorſus nullum animadvertebam effectum. Tribus autem ſequentibus diebus ſingulis, is quinque ſumebat vncias, ſed neque haec doſis nullos perſpicuos adferebat effectus. Per biduum cibis ſatis paſto, quotidie gr. jj Extracti e ſucco foliorum expreſſo dabam; quod per nouem dies ille quidem ſumebat, ſed nullas notatu dignas animaduertere potui mutationes, quibus fortaſſe eſſet adfectus.

Verum

Verum tamen magis magisque macrefcere videbatur, timidior factus, cibum vero adpofitum fatis auide deuorabat, faeces naturali tinctae erant, fed paululum lucidiores ac fluidiores. Dofin illi dandam equidem augebam et feptem grana ei quotidie dabam. Biduo praeterlapfo, huius dofis efficacia in eo haud parum apparebat; magis magisque conficiebatur, triftior reddebatur, minus cibi, quam antea comedebat. Sequentibus tribus diebus tantum in modum viribus attenuabatur, vt nihil amplius, nifi offa et cutis fupereffent; fere nihil ciborum fumebat, faeces fufcae paene nigricantes et paulum fluentes exigua quantitate emittebantur; inceffurus titubabat. Pulfus paruus, languefcens, duobus extremis diebus fexagies in minuta. Die fequenti, qui erat decimus quintus, ex quo extractum fumferat, quietus iacebat, interdum quidem fed rariffime exiguis adfligebatur conuulfionibus, eodemque moriebatur die. — In fectione pulmones paululum corrugatos deprehendi, cor fanguine coagulato refertum, ventriculum nigricanti fimulque caerulea vifcida, parum fluenti materie plenum, in tenuioribus inueni inteftinis ftupae quaedam frufta, ab ipfo antea deuorata cane, fufca obducta colluuie, quae foedum vti priftina, reddebant odorem, et inftrumenta chalybe fabricata laedebat: craffioribus inerat inteftinis modo defcriptae fimilis colluuies; renes duriffimi erant, vefica vrinaria mirum in modum conftricta.

In bene pafta ac faginata gallina in maximas fui generis omni iure recenfenda pulueris recentis efficaciam experiundi, periculum faciebam; cibo enim qui erat panis in frufta fecatus et humidus redditus inmifcebam. Initio quotidie gr. jx eiusdem pulueris tantum, quam dofin per quinque dies fine vllo damno inde ipfi excitato fumebat. Pulueris portionem indies

indies augebam et intra feptemdecim dierum fpatium pulueris tres vncias fumferat. Interea trepidatio atque inquies eius leniebatur, mitis aut potius triftis facta effe videbatur, cum antea vehementer effet fera et cuftodiam effugere conaretur. Interdum cibi ei erat faftidium; fiti laborabat ingenti; excrementa erant fubfufca et vfitato fluidiora. Inde a die vicefimo fecundo, ex quo experimenti initium ceperam, ad tricefimum fecundum vsque pulueris ℥jjj quotidie immifcebam cibo. Hanc portionem femper illa fumens in eadem permanfit conditione, quam antea defcripfi. Dimidium igitur vnciae pabulo quotidie admifcebam quod per duos tantum deuorabat dies, poftea vero modo plane nihil huius mixti nutrimenti attingebat, modo rurfus comedebat. Sic res fe habebat vsque ad diem quadragefimum fextum, quo temporis omni interuallo ad fummnm duodecim fumferat vncias, et nihilo minus incolumis effe putabatur. Triftitia eius continuabatur, in cubilis angulo quietus fedebat, capite pennis inuoluto, quorum tamen magnam amiferat copiam, ampli enim cubiculi folum, in quo inclufa erat, pennis omnino erat obductum.

§. XI.

Digitalis purpureae Proprietates Vires et Effectus.

Quod fi Digitalis naturalem cum reliquis generibus v. c. Atropa Hyofcyamo, Datura, Nicotiana et pluribus aliis intercedentem fpectemus affinitatem, ac fi modo enarrata experimenta in brutis inftituta beftiis perpendamus et exinde ratiocinemur, efficaciffimas in ea latere partes, iure colligere debemus, quae coniecturae aliorum eorumque doctiffimorum medicorum experientia, maiorem atque indubitatam fibi conciliarunt auctoritatem. Omnes enim, qui de huius plantae natura atque

atque indole quaedam conſcripſerunt, et quos euoluere mihi licuit, inter ſe conſentiunt eam feruenti et arida eſſe natura, eiusque efficaciam eſſe eam vt nauſeam, vomitum *c*) purgationesque excitet *d*), quod de foliis praecipue valet. Cl. Withering *e*) doſibus magnis et repente repetitis, oculorum caliginem, viſus obſcuritatem, colorum in rebus obiectis permixtionem ortam eſſe animaduertit, res, quibuscum aegroti eſſent circumdati, ipſis virides aut flauas viſas, vrinae ſecretionem eſſe auctam, interdum quoque interruptam, aegrotos eam continere non potuiſſe, arteriae ictus compreſſos, ita vt vix triginta quinque in temporis minuto ictus numeratur, ſudores frigidos oriri, conuulſiones, mortiferum virium deliquium *f*), et ipſam mortem excitari; interdum ſaliuatio ſequebatur. Ipſe Vir praeclarus Withering valde haeſitat, num talis eam ſemper comitetur effectus, ſed interdum certe id accidere ipſe experientia edoctus, confirmare poſſum, cum hic mihi contigerit caſus: cum enim quorundam infuſorum ex ipſa, de qua nobis nunc ſermo eſt, planta factorum euaporatione occupatus, per integros plures dies continuus in eodem habitaculo commorari,

c) Dod. pempt. l. c. Rajus 767. Lobel ſtirp. obſeruat. 308. Daleus 212. Spielmann 99. Boerhaave 308. Buchwald 102. Techneyherbal 105. Gouen 99. practical Eſſays on medical ſubiects p. 41. vid. *Abhandlungen für practiſche Aerzte 1 B. 2 St. p. 112.*

d) Praeter eos modo citat. vide adhuc *Lentins Beobachtungen 165.* Camerarius hort. botan. 55. pract. Eſſays l. c. *Richters Bibliothek 5 B. Beyträge 532.* a Cl. Conſil. aulico Mayer.

e) An Account of the Fox glove and ſome of its medical uſes, with practical remarks on dropſy etc. 1785. Birmingham p. 184.

f) Richteri Biblioth. l. c.

g) Pract. Eſſ. l. c. ex Murray 490. T. I. m. med.

rari, ob laboratorii ad eiusmodi labores rite inſtructi inopiam, coactus eſſem, per aliquot dies capitis doloribus ſum adflictus, ſatis frequens mihi oriebatur confluxus ſaliuae, perdulcis ſaporis, quae valetudo infirmior in quoddam temporis ſpatium a laboribus deſiſtere me coegit, aeris vero liberioris puriorisque vſus priſtinae me reſtituit ſanitati.

Dodonaeus auctor eſt, quosdam homines, placentam ex huius plantae et aliarum foliis praeparatam, edentes, poſtea peſſime ſeſe habuiſſe atque in vomitum incidiſſe. Sic Lobelius narrat, Sommerſeti Angliae ruſticam turbam huius decocto febricitantibus purgationes et interdum ſuperpurgationes et vomitiones humidioribus aluo moliri. Raius loco iam laudato obſeruationem hanc addidit: medicamentum hoc robuſtioribus tantum conuenire, ſiquidem violenter admodum purgat et vomitiones immanes excitat. — Inſontes eius fructus edentes incidunt in vomitum et dyſenterias vix curabiles *h*). Sic igitur folia exulcerant os, fauces, oeſophagum et ventriculum *i*). Vomitus atque alui laxatio ex ſucci cochleari vno in pinta dimidia cereuiſiae calidae ſumti *k*), idem etiam accidit ex decocti cochlearibus ſex-ſeptem *l*). Alii duo aegrotantes praeter illas modo dictas euacuationes quibusdam cyathis potis ingenti adficiebantur angore, doloribus, cardialgia, ſingultu et manuum pedumque frigore *m*). Puella octennis eadem de cauſa

h) Boerhaave hiſt. 308.

i) Boerh. l. c. Pract. Eſſ. l. c. ex Ill. Murray l. c.

k) Pract. Eſſ. l. c. ex Ill. Murray l. c.

l) On aereal influences 49. 50. ex Hallero hiſt. ſtirpium heluet. indigen. 143.

m) *Lentins Beobachtungen einiger Krankheiten 165.* ex Ill. Murray l. c.

causa periit. Meleagrides post inebriationem, conuulsiones, deiectiones cruentas et emaciationem necat *n*).

Sunt igitur permulti, qui hanc plantam suspectam *o*) venenoque infectam esse autument *p*). Nonnulli hac suspicione adducti longe abfuerunt, vt eius internum in medicina commendarent vsum; inde etiam Simon Pauli loco citato: velim, inquit, internum vsum illius vitare chirurgos. Sed quamuis, quod ad medicinalem eius pertinet vsum, doctissimorum hominum sententiae inter se sint diuersissimae et maxime discrepantes; et quamuis suspecta ac venenata a non nullis existimetur, haec ipsa res argumento esse potest efficacissimas vires in ea latere; libenter quidem concedo, in eius medicinali vsu maximam esse adhibendam cautionem. Si itaque caute et circumspecte et iustis limitibus adhibeatur, de salubribus et sanitati maxime conuenientibus viribus nullo dubitari potest modo: nam recentissimis satis et abundanter comprobatum et euictum est experimentis. Constat quoque inter omnes, quamuis medicinam, etiamsi innocentissima esse non modo putetur, sed etiam re vera sit, immodica dosi aegrotis datam, maximam adferre posse noxam; eadem ratione remedium veneno maxime infectum artis medicae perito medico moderante, saluberrimam euasuram medicinam. Iam antiquiorum quidam auctorum, qui Digitalis mentionem fecit, cuius vero nomen mente mihi excidit, maxime efficaces et patentes ei subesse vires, confirmat. Et Alston *q*) eam in earum indigenarum

 planta-

n) Salerne in hist. de l'acad. d. scienc. 1748. p. 84. ex Murray vide etiam Withering.

o) Haller hist. stp. 143.

p) Boerhaaue l. c. vide etiam Fritze Med. Annalen. 331. 1 Thl.

q) Index medicament. simplic. praefat. p. 5. ex Withering introd. vide etiam Lewis mat. med. 276.

plantarum recenſet numerum, quae hoc quidem tempore non aeſtimentur pro ſuo pretio, quibus tamen potentes inſint vires, vix vlli Indiae plantae cedentes.

§. XII.

Quod autem ad proprias Digitalis attinet medendi Vires, magis externe quam interne eſt adhibita, inprimis vſus illius externus ad ſcrophuloſa ſymptomata pertinuit, v. c. aduerſus ſtrumas (kings evil) eius efficaciam tentarunt medici, dum contuſa herba, ſeu potius ſuccus eius in vnguentum conuerſus, affectae imponebatur parti *r*), et noui plures, inquit Raius *s*), qui in ſtrumoſis tumoribus Digitalis floribus valde confidunt, quos quidam in butyro maiali, quot poſſunt immittentes, curant inſolandos per aeſtatem. Alii cum adipe ſuillo miſcent et ſub terra defodiunt per quadraginta dies: vtrique flores cum vnguento reſeruant, vna cum linteis inducunt et tumoribus applicant. Hiſce tumoribus diſcutiendis vel maturandis vlceribus detergendis vel explendis ſufficere ferunt, ſe expertos. Quinto et ſexto quoque die Diacarthamo purgant, interim continue herbae Robertianae decoctum praebent. Pars vlceris rubens parte vnguenti tenuiori illinatur. Pars autem craſſior vnguenti linteamini imponatur, quod numquam mutetur. Sunt, qui nouella et primo erumpentia plantae germina accipiunt, eorumque Succum expreſſum in butyro coquunt ad ſucci conſumptionem, atque nouo ſucco addito bis terue repetunt." Monita quoque haec adiunxit ex relatione D. Hulſe.

Paretur enim oportet ſufficiens quantitas vnguenti eo anni tempore quo flores haberi poſſunt, cum nonnunquam integer annus

r) Parkinſon Th. p. 654. ex Wither. introd. p. XVIII.
s) Hiſt. vniuerſal. 767.

annus aut amplius ad curam perficiendam requiratur. Quamvis vlcera primo maiora fiant, ne metuas; ſiquidem vnguentum poſtquam humores omnes abſumpſerit et exſiccauerit, ea demum ſanabit et cute obducet.

Vnguentum hoc in ſcrophulis humidis et puro manantibus vtile eſt, in ſiccis parum valet: ſed ad Baſilicum et praecipitatum confugiendum eſt."

Noſocomii Worceſterienſis tum medici tum Chirurgi, pluribus conteſtantur exemplis eximiam et ſalutarem efficaciam vnguentorum atque cataplasmatum e foliis paratorum *t*) quae alio quoque loco etiam atque etiam praedicantur *u*) ob uſum inprimis ad vlcera nimis laxa adhibitum, vbi optatiſſimum ſucceſſum ac miratione dignum praeſtitit effectum. Atque in Pharmacopoeia Wirtenberg. *x*) idem optatiſſimum huic fini vnguentum commendatum ac praeſcriptum leges. Et Zeiher *y*) florum butyro coctorum aduerſus glandulas tumeſcentes ſalutarem vim maximis effert laudibus.

§. XIII.

Pari quoque ratione ad hereditario acceptas modo ſcrophulas ſanandas Digitalis tamquam praeſtantiſſimum remedium a plurimis eſt probata *z*). B. Haller loco infra laudato narrat caſu

t) Pract. Eff. 44. ex Murray l. c. 492. vide etiam *Abhandlungen für pract. Aerzte 1 B. 2 Stück* p. 114.

u) Chirurgie pharm. 101. Buchwald. ex Halleri hiſt. ſt. 143.

x) P. 243.

y) Vicat mat. medica 99.

z) Aereal infl. 49 – 50, vid. Haller. hiſt. ſt. ex Murray 491. l. c.

casu quodam desperato tam diu decoctum esse adhibitum, donec cutis deuolueretur. Illustr. Eq. Murray, praeceptor mihi venerandus, permulta praeter haec in eximia materia medica commemorat scriptorum excerpta ad scrophulas hereditarias pertinentia, quorum summa haec est. "Conualuit quoque Vir *a*) variis corporis locis scrophulosis vlceribus tentatus, in crure dextro tam diris, vt de amputatione iam cogitaretur, succi cochleari vno bis intra quatuordecim dies cum dimidia pinta cereuisiae calidae inter dira symptomata capto, et applicata quotidie herba post expressionem residua *b*). Multum levaminis cochlear vnum succi, descripto modo assumti, feminae iuniori conciliauit, scrophuloso tumore oculi, fissuris labii superioris insigniter tumidi, tumoribus articulorum in digitis et continuo fere artuum dolore afflictae; sed ob nimiam remedii vehementiam continuationem eius necessariam detractauit *c*). Constantior fuit Vir, scrophuloso tumore eoque lurido cubiti dextri per triennium sub dirissimis doloribus laborans, sed quatuor praebiis succi per interualla vnius mensis integre fere sanatus *d*)." Helmontius aduersus scrophulas radicem Digitalis in puluerem contritam interne maxime commendat *e*); idem remedium laudat Burmannus. — Anno proxime elapso Cl. Quarin etiam in Nosocomio, succum Digitalis purpureae recenter expressum, atque externe applicatum, et extractum interne

a) Ille juuenis octodecim annos natus, per decennium alia frustra adhibuerat medicamina; frequens erat et puriformis e vulneribus apertis efluxus, ita vt febris hectica timenda esset.

b) Practical Ess. 40.

c) L. c. 42.

d) L. c. 43.

e) Ex Quarin. animaduersiones practicae in diuersos morbos. Viennae 1786. p. 117.

terne praebitum, magno cum ſucceſſu in ſcrophuloſis tumoribus adhibuit, cum alia remedia nullo fructu antea adhibita eſſent; a gr. j extract. incipit, deinde ſaepiſſime ad gr. xjj progreditur *f*).

In Noſocomio Goettingenſi, vbi ſub auſpiciis Cl. Profeſſoris Stromayer mihi ſemper colendi, Medicinae ſtudio operam dantibus aegrotorum cura ac medela nunc mandatur, cognoui Digitalem in duobus diuerſis aegrotantibus ſcrophuloſis afflictis ſymptomatibus optimo cum ſucceſſu eſſe vſurpatam.

Puella quaedam caeterum robuſta ac viuida, cui nomen Annae Franz erat, tredecim annos nata quae antea, vt profitebatur, proſpera ſemper gauiſa erat valetudine, decimo aetatis anno ſine cauſſis, ipſi notis, praecedentibus mobiles ac doloris expertes glandularum maxillae inferioris indurationes eſt paſſa; ſiniſtra tum valde tumeſcebat bucca, vt haec praeſtantis formae puella plane deformis videretur. Chirurgus, cuius curae experientiaeque ea primum ſeſe commiſerat, malum e dente carie afflicto ortum cepiſſe exiſtimabat, et hac opinione adductus, dentem maxillarem inferiorem in ſiniſtro latere extraxit. Qua autem operatione longe abfuit, vt malum diminueretur aut cederet, vt potius in dies id augeretur ita, vt, quo dens inhaeſerat, loco, carnis maſſa oblonga, nullos tamen dolores ſecum portans, e gena increſceret. Hoc experimento votis ac exſpectationi neutiquam reſpondente, plura alia ad malum exſtinguendum tentauit remedia, ſed fruſtra. In Noſocomium itaque ſe contulit. Cauſae primariae, vt iam ſupra monui, elici non potuerunt, niſi quod capitis tinea, qua ante aliquot afflicta fuerat annos, attentos nos redderet. Contra eam adhibebantur remedia, inter reliqua vnguentum Jaſſeri infrigebatur, ſed nos

f) P. 119.

nos quoque optati fucceffus fpe excidimus; nihil autem amplius nunc reftabat nifi vt, ob fufpicionem ftatus fcrophulofi, initio ftatim occurentem, remedia huic ftatui accommodatiffima, adhiberentur. In hunc finem Digitalis purpureae tinctura illi eft praefcripta, cuius quindecim guttas quater fingulis diebus fumfit, ita vt, vna quaeuis dofis gr. vnum Digitalis contineret: nam interiectis aliquot hebdomadibus, in quibus Digitali vtebatur, res magna ex parte in melius eft conuerfa; durati illi nodi refoluebantur, tumor diminuebatur, et ante quasdam hebdomades, fanitate ex integro fere recuperata, Nofocomium reliquit.

In alio aegrotante Digitalis adhibita falutares etiam exhibuit vires: Iuftus Arend puer duodecim annorum, qui imbecilla quidem corporis fuit conftitutione, optima tamen valetudine vfus erat. Is ante certum temporis fpatium magnum offium cubiti finiftri tumorem, cum rigiditate artuum coniunctum fenfit, inde factum eft, vt nullo modo brachium inclinare poffet, idque in eundem ftatum extenfum femper habere effet coactus. Huius fymptomatis vna ac fola cauffa, quam ei ineffe certo ftatuere potuimus, corporis fcrophulofae infedit conditioni; Digitalis tincturam dofi fupra determinata illi dandam curauimus; vix per quatuordecim dies, Digitali adhibita, tumor ita, vt quisque facile poffet cognofcere, eft diminutus, et aliqua brachii mouendi redit facultas: externe Emplaftrum mercuriale brachio eft impofitum: indies melior eius erat fanitas, et quamquam nunc, dum malum, quo afflictus erat, defcribo, fanitati integrae nondum eft reftitutus, maxima tamen fpes adeft fore, vt breui tempore mobilitatem agilitatemque brachii priftinam recuperet, et os, naturalem recipiat craffitudinem.

§. XIV.

§. XIV.

In fcirrhofis quoque indurationibus fuccus expreffus optatos praebuit effectus *g*), mulieri cuidam ambas fcirrhofas habenti mammas, Digitalis herbae fucci dabatur cochlear vnum, quod vehementem excitabat vomitum fufcae et vifcidae materiei, qui interdum quidem per viginti quatuor continuabatur horas, interuallis quinque aut fex horarum quietis. Altera quidem mamma omni induratione eft liberata, alterius autem induratio minuta ac mobilis reddita.

Mulier triginta quatuor annorum, ante biennium praeterlapfum paffim in mammis atque in collo fcirrhofos acceperat nodos ac praecipue duram et tumidam glandulam faliualem; dum fucci ex herba cum floribus et radice expreffi aquae menfura diluti cochlear vnum plenum matutino paulatim fumfit tempore, fanitati eft reftituta. Medicamine fumpto, naufea, vomitus pituitofus, virium defectus, et diarrhoea coloris cineracei, qualis in Ictero laborantibus accidere folet. Poftero die cochlearis cibarii quarta tantum pars fucco impleta, et aegrotae data, effecit, vt decies aluum leuaret aegra, vix autem femel vomeret. Poft octodecim dierum huius medicaminis vfum, alui deiectio naturae magis conueniens eft reddita, ac nodi et fcirrhofae euanuerunt indurationes *h*). Icterici notatu dignum, morbi leuamen fenferunt, cum fucci ex vncia vna fex vnciis aquae diftillatae pulfatill. nigri: et aliquantulum fyrupi immixta, fingulis binis horis duo cochlearia plena aegroto darentur *i*).

Nec

g) Richter Biblioth. 4 Th. p. 591.
h) Ibid. 5 Th. p. 541 - 33. Mayer.
i) L. c.

Nec non in Epilepticis Digitalis eſt commendata et feliciter adhibita ſymptomatibus. Quod Parkinſonius, vt probet, narrat *k*) hominem quendam, qui per viginti ſex annos ſingulis fere ſeptimanis vnum, et quoque menſe duos aut tres habuerit acceſſiones, decocti ex illius foliorum manipulis duobus et quatuor vnciis contuſi Polypodii quercini, cereuiſia praeparati vſu ita reſtitutum eſſe ſanitati vt in ſedecim menſium interuallo, ne vnum quidem Epilepſiae paroxysmum ſenſerit. Foliorum manipulum vini et aquae, aequalibus doſibus coctum, purgando Epilepſiae ferunt eſſe medicamen *l*). Witheringius quoque in illo morbo vim ſuam ſalutarem hoc remedium exhibere contendit; tunc vero, cum morbi cauſa primaria in aquoſorum humorum effuſione latet, ſed in ſymptomatibus ab eo nominatis *m*) hydropici non definiti nec conſtituti erant caſus: neque illi talis in praxi ſua medica occurrit caſus, quo certo potuiſſet conſtituere, qualis efficaciae in aliis Epilepſiae generibus hoc medicamen eſſet.

Angli Digitalis vſum in Podagra quoque et Rhachitide laudibus efferunt *n*), cum vel folia contrita, vel vnguentum, e floribus paratum, aegris corporis partibus imponunt. Huius decocto lepra etiam ſcorbutica eſſe ſanata dicitur *o*) D. Baylers non fruſtra contra cariem et pertinacia crurum vlcera adhibuiſſe

k) Theat: of plants. 654. ex Murray vid. etiam Withering introductio p. XVIII. et Lewis mat. med. 276.

l) Zwinger l. c. 833.

m) Vide hiſtor. morbi 57. Epilepſia hydrope coniuncta. Sanata eſt. — et hiſtor. morb. 99. in Iuvene decem annos nato nihil medicamen illud profecit.

n) Haller l. c. Vogel mat. med. p. 128. *A*. 1774. de vtroque dubitat Quincy Engliſh Diſpenſatory. Lond. 1733. 127. Vicat mat. med. 99.

o) Vicat mat. med. l. c.

hibuiſſe eam fertur *p*), et vt breui dicam, Digitalis vſus ad varii diuerſique generis vulnera ſananda maxime eſt commendatus *q*) et Fuchſius inquit Digitales pulueriſatas et vulneribus inſperſas eorum iuuare ſanationem *r*); herba quoque vino decocta, vulnera magna cum vtilitate ſunt eluta. Inde vetus apud Italos vſitatum, ortum eſt adagium, "Aralda chi tutte piaghe ſalda", hoc eſt Digitalis quae omnia vulnera ſanat. Foliis melle immixtis et illitis faciei et corporis maculas abigi Fuchſius confirmat loco laudato. Decocta ad bibendum data, fluxum ſanguinis menſtrui ſuppreſſum reſtituerunt in integrum, hepatis et lienis obſtructiones diſſoluunt *s*).

Nonnulli etiam in Diſpnoea pituitoſa eius medicinales extollunt vires. Fuchſius addit, eam, ratione modo deſcripta, datam, humores diſſoluere craſſiores et diſcutere, pectus abſtergere atque ſputum promouere. Eadem Tragus quoque adfirmat *t*), et Gerard *u*) inter alia dicit, Digitalem, melle aut ſacchari aqua coctam, pectus purgare ac liberare, quippe quae craſſam et viſcidam pituitam ad eliciendum reddat promptam. Parkinſonius eadem ſic ſe habere contendit, dicens: ſi vllum adhibendum ſit medicamen ad craſſam pituitam, aut lentos pectus obſidentes humores attenuandos, decoctum illud, aut ſuccus melle aut ſaccharo praeparatus, huic fini eſt accommoda-

p) Withering introductio p. 18.

q) Lobel aduerſaria 245. ex With. l. c.

r) Cap. 345.

s) Gerard l. c.

t) Simplicia valde amara, expurgant, detergunt et aperiunt vaſa, craſſos lentosque diſcutiunt humores, et eiectionem puris e pectore et pulmonibus adiuuant. Galenus L. 4. ſimpl. c. 17.

u) L. c.

modatiſſimus, et emeticis et purgantibus craſſam et tenacem pituitam e corpore expellere. Vulgus Angliae occidentalis in phthiſi pulmonali ſaepius Digitali vti dicitur *x*). Cl. Witheringius efficaciae eius in ſimilibus caſibus periculum fecit *y*), ſed parum vtilitatis ipſi attulit: nihilominus tamen optat, vt plures in talibus ſymptomatibus illius vires tentent et certi aliquid conſtituant. Nam in Parkinſonii herbarii quodam manuſcripto, ſub Digitalis articulo hanc inuenit obſeruationem, quam, vt ipſe ſuſpicabatur, D. Saunders fortaſſe adieciſſet: phthiſi ſcilicet laborantes et confectos, tenui, ex aquae, aut aequalibus aquae et vini partibus et Digitalis foliis praeparato decocto, poſſe ſanari, ſi aegrotus eo tamquam communi vteretur potu; eandem et ſalutarem vim ferunt ſuccum percolatum, et melle tenuem ſyrupum factum exhibere; cuius tria cibaria cochlearia referta quotidie temporibus ſolemnibus eſſent ſumenda. Hoc modo herbae ac foliorum vſus interdum miros dicitur procreaſſe effectus: maximam vero cautionem eſſe adhibendam, quod facile excitaret vomitum.

§. XV.

Hi igitur modo commemorati ſunt effectus, aut ſatis noti, atque vulgares, aut minus, plantae, ab antiquioribus quidem laudatae auctoribus, et in morbis a me paulo ante recenſitis vires efficaces exſerentis. Quoniam tamen illa ipſa a quibusdam ſuſpecta habebatur planta, inde factum eſt, vt recentiores, hoc deterriti timore, perpauca memoratu digna memo-

x) L. c.

y) Sequentibus in caſibus phthiſis pulmonalis cum hydrope erat coniuncta, nec Digitalis quidquam profecit. Hiſt. morb. 16. 37. 56. 64. 68. 112. 114. 118. 123. 148. — reſpiratio breuis abiit 150. — ſequentibus autem caſibus, in quibus Digitalis erat inutilis, ſola phthiſi afflicti erant aegroti 42. 95. 111.

memoriae proderent, quod eius in morbis ſupra nominatis efficaciam medicinalem, confirmaret probaretque, vsque ad Witheringi, Medici Birminghamienſis doctiſſimi et experientiſſimi, obſeruationes diligentiſſimas. Virium illius nihil amplius niſi id, cuius modo mentionem feci, cognitum habebant: Et obliuioni paene eſſet tradita, niſi ille praeclarus Vir eam ab illa vindicaſſet, cum ſingulares ſalutaresque et ad hanc vsque aetatem incognitas inueniſſet vires. Nos quidem libro, praeclare ſcripto z), ſatis diſtincto modo certiores fecit plantae huius efficaciae, ad morbum profecto non rariſſimum, hydropem dico, ſanandum. Ipſe vires medicinales eius experimentorum in aegrotis inſtitutorum frequenti copia comprobauit, primusque modum et rationem in hydrope vires illas exſerentis, videlicet diureticas inuenit.

Omnino eſt mirandum, ne vllum quidem ſcriptorum veterum harum mentionem feciſſe virium; etſi enim in hunc finem non adhibuerunt plantam, neceſſe tamen fuiſſe mihi videtur in alieno vſu, vrinae copioſiorem animaduerterent emiſſionem. Sine vllo quoque dubio vrinae emiſſio eſt aucta; illi autem forte id accidere putantes non ſatis curae adhibuerunt obſeruationibus: vel potius, quod eſt vero magis ſimile, aegrotis ipſis eſt tribuenda culpa, qui, quod ſaepius accidit, medico haud accurate et circumſcripte indicarent omnia, quae eſſent experti. Haec ita certo ſeſe habere, inde quoque manifeſtum eſt, quod eo ipſo tempore, quo quidem aduerſus hydropem, clam vero, adhibebatur digitalis, vires eius diureticae non animaduertebantur.

z) An account etc. etc.

§. XVI.

Anno poſt Chr. nat. 1780, priusquam Witheringii ſaepius iam laudatus liber prelis erat impreſſus, iam Cl. Darvins certiores nos fecit, illius plantae aduerſus hydropem vſum in Anglia quam maxime eſſe ſolemnem et plures memorat caſus, has eius vires adfirmaturos *a*). Nec non in diario erudito quod Londin. in vulgus editur [the London medical Journal] *b*). Commentarios a Cl. Simmons et D. Warren *c*) ſcriptos inuenies, vbi Digitalis tamquam nouum et efficax in hydropem remedium indicatur commendaturque. Negari tamen non poteſt, Ill. Withering. huius auctorem eſſe medicaminis; Commentarii enim modo dicti, illi ortum debent. Ipſe erat, quocum 1775 anno, mulier quaedam annis iam confecta *d*), in pago (Shorpſhire dicto) hoc diu celatum aduerſus hydropem medicamen, amplius viginti herbis commixtum, communicauit *e*). Ipſe primus eius efficaciam ſoli Digitali con-

a) Experiments eſtabliſching a criterion between mucagineus and purulent matter and an account of the retrograde motions of the abſorbent veſſels of animal bodies in ſome diſeaſes. Lichfield 1780. 8vo. vide *Abhandlungen für practiſche Aerzte 6ter Band 3tes Stück* pag. 303.

b) Vol. VI. pag. 55.

c) De ambabus conferas velim. *Abhandlungen für pract. Aerzte 11. Band* pag. 98. et 130.

d) Withering. l. c. pag. 2.

e) Haec quoque hiſtoria in argumentum adhiberi poteſt, non ſemper remedium ab ano quodam commendatum, temere pro falſo eſſe habendum. Fieri poteſt enim vt ſaluberrimum, adhuc vero ignotum, remedium penes illos ſit. Inde etiam ſaepius difficillimis accidere exiſtimo in caſibus, vt talis conditionis homines, plus ad ſanitatem reſtituendam proficiant, quam medici, ſumma doctrina et experientia praediti, valent.

conuenire obferuauit, et iam fupra commemoratam animadvertit vim diureticam, quae fola et tutiffima eft ratio, qua optatum in hydrope fperare poffis euentum. Sed antea hocce adhibebatur in dofi quadam, remedium, qua fere femper naufeam *f*) vomitum atque alui purgationem †) excitabat. Inde accidit, vt aegroti, quamuis optimum animaduerterent medicaminis effectum, tamen id porro fumere recufarent ††). Atque fi apud Cl. Warren leges *), fefe effe in ambiguo, num femper et vbiuis neceffarius fit vomitus, fi medicamen vim fuam diureticam exferere debeat, ipfe interdum neceffarium effe hoc oftendit. Witheringius vero, variis ac plurimis experimentis inftitutis, ex hac nos non modo eripuit ambiguitate, fed monftrauit quoque viam, qua fecuri poffimus effe, timoris expertes, ne noxae aliquid aegroto adferamus, fi fortaffe fanitatis priftinae reftituendae fpe excidamus. Quod fi tamen, cauffis primariis hydropem arceffentibus, remotis, ipfum remaneat malum, aut fi cauffas reperire vllas nequeamus, atque fi naturam ambobus in cafibus, per vrinarias vias, aquae fecretionem fua fponte eligere, animaduertamus, tunc fi aliter humanae aliquid proficere poffunt vires, aliorum experimentis inter fe confentientibus freti adfirmare poffumus, prae omnibus aliis diureticis medicaminibus Digitalem effectum votis noftris refpondentem effe praebituram *g*).

§. XVII.

f) Darvins l. c. pag. 302. Vir Ill. Simmons coniecturam affert pag. 112. Naufeam e plantae venenata indole oriri, quae, fi herba effet ficcata diminueretur, et herbae ficcatae vfum recenti longe praeferendum effe.

†) Warren l. c. pag. 124.

††) Warren pag. 130.

*) L. c.

g) Withering. pag. 191.

§. XVII.

Ratio modusque, quo hocce remedium praecipuam exhibet vim, iam fupra diuerfis in locis eft indicatus: mihi quidem videtur id ratione, ab irritandi eius natura, non pendenti vim diureticam exferere, qua fcilicet natura organa vrinam fecernentia irritantur et in validiorem impelluntur motum, quod e. gr. canthárides et valida remedia alcalina efficere folent, fed potius fingularem huic medicamini ineffe indolem, qua fanguis pituitofus et renum pituita diffoluatur, humorum acrimonia corrigatur, vafa, ad vrinae fecretionem accommodata, fi quae fortaffe fint vitiata, corroborentur, et fic aqua ad emiffionem fatis apta educatur. Summa etiam probabilitate et verifimilitudine confirmari poteft, eam praecipue remedii refoluentis partes agere, fi ex analogia de eius in aliis morbis praeftito concludere licet effectu. Si quod medicamen in vlla valetudine aduerfa operetur ratione nobis fatis perfpecta, quid eft, quod nos impediat, quo minus fufpicemur, etiam in aliis, haud fruftra adhibitum, cafibus, et vna eademque ratione vim exhibuiffe fuam falutarem? — Atqui huius medicaminis benificio in glandulofarum partium tumoribus, dolorem non adferentibus, fcrophulis dictis, vtimur, quibus, tamquam diffoluens, difcutiens, fingularem emendans acrimoniam, medetur; nonne etiam eius diureticae vis ratio medendi in hoc eft quaerenda? — Quoties non deprehendimus etiam in hydropicis, hepatis, lienis, pancreatis, et in ipfo mefenterio obftructiones adeffe, et in pulmonibus indurationes, quibus fanguinis aut lymphorum circulatio nimis retardatur, et humorum fecretio eorumque exitus diminuitur. Harum quidem vitiofa partium conditio, e nimia morbi duratione ortum habere poteft, cum antea non adeffet, faepiffime vero morbum etiam antecedit, et pro cauffa efficienti eft aeftimanda. Quocun-

cunque autem modo res eſt, niſi aliis indigeamus ſpecificis remediis, Digitalis obſtructiones remouere, et humoribus caeteris expeditum reddere tranſitum valet; in primis autem tales procreabit effectus, ſi eius generis ſint obſtructiones, vt Digitalis iis plane ſpecifice mederi poſſit.

§. XVIII.

Nonnulli, vt iam ſupra commemoraui, neceſſe eſſe putarunt, nauſeam vomitumque prius excitari, quam medicamen diureticam ſuam praebeat efficaciam. Sic Cl. Warren obſeruauiſſe profeſſus eſt, nunquam hydropem auferre nec quidquam proficere, niſi antea commouiſſet vomitum. Omnino negari non poteſt, vomitum tum in hoc ſtatu eſſe ſalubrem, cum repentina corporis commotione vaſorum minorum obſtructiones aufert, viasque aperit, et reſorptionem efficit *h*); quibus rebus hydropici ſaepius receperunt ſanitatem *i*), tum autem alia adhiberi poſſunt vomitoria. Ipſe Withering initio hunc praecedere debere effectum ſtatuit *k*), poſtea vero experimentis perſuaſus eſt repetitis, Digitalem purpuream vim diureticam vehementer oſtendere, nec in hunc finem nauſea aut vomitu antea indigere; quamquam quidem, illo durante, ſecretio vrinae augeretur *l*), et per aliquod temporis ſpatium continueretur.

Exem-

h) Cruikſchank. vide *Abhandlungen für pract. Aerzte 7 Th. 1 Stück p.* 14,

i) Quid? quod hydrops articulationis hac ſanata eſt ratione l. c. etiam acta haunienſia Th. I. p. 294. aqua aſcitica euanuit.

k) L. c. p. 185.

l) P. 5.

Exempla exſtant, vbi, et ſi nauſea etc. excitabatur, vis tamen diuretica ſaepiſſime nihilo erat validior m) efficaciorque, quin etiam ille ſaepius antecedebat effectus, quem demum horis aliquot praeterlapſis ſequebatur nauſea; adeo vrinae ſecretionem nonnunquam impediebat n), aliquamdiu iam inchoatam, praecipue ſi medicina quibusdam maioribus aegroto dabatur doſibus o). Vt falſa illa opinio eo certiſſime ſit reiicienda, hoc quoque annotari meretur, Digitalem eiusmodi in caſibus, vbi iam ſcilla et ipecacuanha ad nauſeam vsque data, nihil ad ſanitatem adtuliſſent, fuiſſe ſaluberrimam p). Haec igitur nauſea neutiquam eſt neceſſaria, ſed potius ex noſtra incuria oritur; et a nauſea alio medicamine excitata, plane diſcrepat; dum modo deſinit, modo eodem impetu, breuioribus aut diutioribus ſpatiis interiectis, redit, aegrumque ſubmiſſo et anxio reddit animo, quae vero incommoda, ciborum appetitus amiſſi reditu, plerumque compenſantur, et quidem maioris ea ciborum cupiditate, qua ante medicaminis vſum, aegrotus eſt gauiſus q).

§. XIX.

Caeterum caſus accidere ſolent, quorum iam §. XI. feci mentionem, v. c. vomitus, vertigo, colorum permixtio et caetera, quorum cauſſa in maiori aut citius repetita doſi latet. Inde maximi eſt momenti, vt modus ſufficiens, quo medicamen aegrotis datum, vim efficacem et ſalutarem absque omni periculo,

m) Simmons l. c. p. 102.

n) Witheriug l. c. 184. 85.

o) P. 4. l. c.

p) P. 5. l. c.

q) L. c. 185.

culo, optime exhibere possit, rite describatur constituatur que. — Cl. Darvins foliorum recentium quatuor vncias, duobus pintis aquae decoquebat vsque in vncias octo, decoctoque addebat vncias duas spiritus vini, cuius, interpositis duabus horis tria, aut singulis horis duo cibaria cochlearia aegroto sumenda praecipiebat. Medicinam decem vel duodecim horas adhibitam, nausea diu durans, et frequens vrinae secretio sequebatur, interdum etiam alui eiectiones purgantes. — Cl. D. Simmons decoctum e tribus vnciis foliorum aridorum et mensura dimidia cum quadrante ad mensuram dimidiam praeparabat, cuius sex cochlearia quotidie aegrotantibus dare dicebat. — Cl. D. Warren decoctum et tribus foliorum recentium vnciis et aquae fontanae vna libra cum dimidia, vsque ad remanentiam vnciarum nouem decoctum praeparabat, huic colaturae aquae iuniperi et succi corticum aurantiorum ana vnciam vnam et dimidiam addebat, cuius medicaminis interpositis quatuor horis duo cochlearia maiora aeger quotidie tam diu sumebat, donec vomitus, alui purgatio, vel vrinae frequens sequeretur secretio. Hanc medicamenti dandi rationem non vtique optimam fuisse ac tutissimam, in eaque adhibita illud semper operari aliqua cum violentia, quae tamen ratio aegroti naturae in omnibus circumstantiis conueniens esse nequeat, facile est intellectu.

Semper igitur cautio quaedam in huius medicaminis vsu est adhibenda, eaque constituenda dosis, quam, omni timore liberati, aegroto praecipere possimus, attamen eiusmodi formam optemus necesse est, qua maximos efficiat effectus, et efficaces quam minime amittat partes. Cl. Witheringius primus nos docuit, quomodo omnes modo memoratos, facile consequi possemus fines, certis cautionibus praescriptisque de-

finiendis, quibus ſatis cognitis nunquam a recto aberrabimus tramite.

§ XX.

Omnium plantae noſtrae partium ex communi experientia, folia ſunt efficaciſſima *r*), quamquam eius aliae quoque partes ſimiles fortaſſe proferre poſſint effectus *s*). Ex planta in caulem excreſcente, folia inprimis colligenda ſunt, quae deinde, petiolis et media coſta cum cura ſeiunctis, vel in ſole, vel in orbe ſtanneo, igni languidiori appoſita et arida reddita, pulchrum ac viridi coloris puluerem efficiunt, qui paulo minus, quinta foliorum parte, ponderis habere ſolet, quae ipſa neutiquam ſunt comburenda, ſed tamdiu modo torrefacienda, donec conteri poſſunt. Huius pulueris adulto gran. vnum — tria bis quotidie praeſcribere ſolet Withering: puri vero vel cum aromate quodam admixti, plerumque grana quatuor in quemvis diem ſufficiunt *t*). Nonnunquam pillulas ſufficienti ſaponis aut gummi ammoniaci copia paratas praeſcribit, ac ſi liquida malint aegroti, drachmam vnam foliorum ſiccatorum in ſemi pintam calidae aquae per quatuor horas infundendam curat, colaturae vnciam aquae ſpirituoſae addit, cuius infuſioni vncia vna bis ſingulis diebus adulto eſt media doſis. Quod ſi autem aeger ſolito validior ſit, aut magni momenti ſymptomata accidentia eum vrgeant, hanc doſin per octo quasque horas

r) L. c. p. 181.

s) Radix e. g. quae praeterea, vt nonnulli autumant hydropi medetur. vt nulla inde oriatur nauſea; Withering. tamen hanc non minus foliis hoc efficere obſeruauit. — Flores etiam et ſemen idem operari poſſunt.

t) L. c. 182. Cl. Warren. l. c. p. 134. foliorum inquit hiberno tempore, collectorum minorem adhibendam eſſe, quantitatem (Leſſ quantity).

horas dari iubet. Contra vero ſaepe ſit, vt vnciae dimidium iam ſufficiat; itá triginta pulueris grana aut octo vnciae infuſi aegroto, priusquam nauſea adficiatur, dari poſſunt. Tincturae ſpirituoſae, et vinoſae, et acetoſae ipſi etiam probantur, quae et iam efficaces ſunt repertae *u*). Minime vero illi probatur extractum. Medicamen enim, ait, cuius maxima doſis trium granorum in ſubſtantia eſt, condenſationem non admittit. Neque nimis magnae neque citius repetitae ſunt dandae doſes, alioquin ſymptomata §. XI. notata accidere ſolent, attamen, vt facile intellectu eſt, leuiori gradu, niſi nimis vehementi ratione adhibeatur remedium *x*).

Medicaminis huius optaſſimus rariſſime tunc eſt exſpectandus effectus, quando vim exſerat purgandi *y*), quam ad coercendam vnicuique doſi opii paululum addatur *z*). Si inteſtinorum nimia eſſet inertia et venter lentius moueretur, ille vno eodemque tempore Jalappam praeſcripſit, qua vis diuretica remedii, neutiquam impeditur. Attamen e tali huius cum aliis medicaminibus coniunctione non ſemper ſatis amplum perſpectum habuit effectum.

§. XXI.

In hoc remedio adhibendo pulſus perpetuo diligenter eſt explorandus, quod non nunquam mirum in modum langueat, etſi non aliud illum anteceſſit ſymptoma. Ideoque caueas, ne doſin feſtinanter repetas, ſed vt iuſtum operandi tempus cuique tribuas, et circumſcriptis doſibus, interuallisque conſtitu-

 tis

u) Vide Warren pag. 133. nauſeae minus fortaſſe adducit.

x) Withering. pag. 184.

y) L. c. pag. 186.

z) L. c. pag. 184.

tis tamdiu pergas, donec medicina fumta aut in renes aut ventriculum aut in pulfum et in inteftina vim excerceat, fed definas ftatim fimulac talis appareat effectus *a*). Secundum Witheringii recentiora experimenta, ad hydropis fanationem paulatim curandam, Digitalis, leuioribus dofibus e. gr. ad duo aut tria grana, adhiberi debet. Vnde fiet, vt vrina paulatim fecernatur, quod vsque ad totius curationis finem continuabitur.

Ad remedii vim magis fuffulciendam, neceffe eft, aegroti, dum medicinam adhibent, frequenti potu, quemcunque malunt, nifi fini noftro aduerfetur, vtantur. Saepius enim fit, vt initio, quamdiu humores acrimonia quadam nondum funt infecti, nulla aegroti laborent fiti, ac potu, veteri quadam opinione falfa deterriti, abftineant; verum enim vero recentiorum fatis euictum et confirmatum eft experientia, frequentiorem potum non modo non obeffe, fed etiam prodeffe.

Aquae euacuatione repente facta, aegrisque haud firma corporis conftitutione gaudentibus, fafciarum vfus valde neceffarius eft *c*), vt hac ratione virium defectus aliaque fymptomata euitentur. Nifi autem aqua penitus et vna vice egeratur, Witheringio in aliquot dies medicamine non vti placet, vt his interuallis corpus, medicamentis nutrientibus et tonicis adhibitis corroboretur; haec vero medicina optatum non femper praebuit fucceffum tutiffimum. — Remedium, quo nimis violentus et periculofus Digitalis effectus cohiberi poffit, nondum eft repertum aut cognitum. Experientia Cl. Witheringii, ventriculus, vfitata remedia analeptica et volatilia, tali confti-

a) L. c. pag. 186.
b) pag. 187.
c) Withering l. c. pag. 192.

conſtitutus conditione, recuſat, potius aromatica et amara praefert. Nonnunquam ſpiritui vini ineſt, haud nimiam nauſeam ſedandi vis, plerumque etiam opium paruis doſibus datum, plurimum profecit, plus autem vtilitatis veſicatoria adtulerunt *d*). D. Jones quidem compertum habuit; potum e mentha criſpa confectum maxime profuiſſe.

§. XXII.

In omnibus fere hydropis generibus Digitalis commode adhiberi poteſt, excepto hydrope cyſtico; quoniam nulla interne adhibita remedia humores educunt incluſos. Qua de cauſa in aſcite mulierum, ea haud feliciter vtimur; quia cum hydrope ouariorum plerumque coniuncta eſſe ſolet *e*). Sed Vir Cl. Warren ſe eam optimo cum ſucceſſu,. in eiusmodi caſu, quem hydropem dextri ouarii eſſe putauit, adhibuiſſe teſtatur *f*). Aegrotans enim dextro in latere magis magisque erat inflata, vrinae ſecretio diminuebatur, maceſcebat et demiſſo erat animo. Pillulae ſcilliticae et acetum ſcilliticum plane nihil proficiebant, Digitalis autem vſus, quatriduo praeterlapſo, eam priſtinae reddebat ſanitati. — Neque, vt Witheringius obſeruauit, maior nobis in aſcite ſanandi ſpes adeſt, vbi venter durus, expanſus, circumſcriptus eſt, vbi tumor digiti impreſſioni repugnat ac continens eſt. Nec in hominibus robuſto corpore, et viuida natura praeditis, ſecundum ſperare debemus ſucceſſum, ſi fibrae ſint extenſae, cutis calida aridaque atque facies rubore perfuſa, et pulſus ſit durus, intenſus. Contra vero, Digitalis vim diureticam efficacem fore, tunc magis eſt ſperandum,

d) L. c. pag. 188.

e) L. c. pag. 7.

f) *Abhandlungen für practiſche Aerzte XI. Band.* gag. 127.

dum, ſi pulſus debilis, intermittens, et aegrotus pallidus eſt, circa os oculosque liuidus, ſi cutis ſit frigida mollisque tumor, vt aquae motum internum facile tactu percipias, aut oedoematoſus tumor, digitorum leni preſſioni facile cedens, foueam relinquat *e*). Item etiam, eam, in morbo e vaſis exhalantibus relaxatis orto, faluberrimam eſſe Cl. Warren opinatur *f*), qui aegroti ſtatus initio ei ſimilis apparet, qui cachexia appellatur, quae vniuerſalis hydropis primordium eſt habendum, et a Cl. Cullen (hydropi diatheſis) nominatur.

§. XXIII.

Quamquam autem hoc remedium, in vniuerſum ſpectatum, eſt efficaciſſimum, et multis aliis aduerſus hydropem adhibitis remediis ſine dubio eſt praeſtantius, in omnibus tamen hydropis caſibus, ſine omni exceptione idem tutiſſime et optato cum ſucceſſu adhibitum iri, nullo modo confirmare audeamus. Longiſſime tamen abeſt, vt haec, quae modo monui, eius praeſtantiae obſint; vbi enim vlla reperitur medicina, quam, quibusuis in ſymptomatibus ſanitati prodeſſe eamque reddere certiſſime et absque omni exceptione contendere poſſimus? nonne quidam ſemper reſtant caſus, in quibus nihil ſalutis adfert? Eodem modo nec Digitalis diureticum vniuerſale medicamen haberi debet *g*), in quibusdam tantum, ſupra narratis circumſtantiis accidentibus, praeſtitit efficaciam; etſi aliquando vi ſua diuretica non integram reſtituat ſanitatem, hoc tamen certum eſt, eam ſemper aliquantulum vrinae ſecretionem augere. Si vero cum apoplexia hydrops ſit coniuncta, aut ſi aliorum morborum ſymptomata adſint, neque Digitalis, neque

e) L. c. With. pag. 189.

f) *Abhandlungen für prakt. Aerzte* l. c. 128.

g) Withering. l. c. pag. 191. Nr. 1.

neque vllum aliud remedium diureticum aliquid proficere poteſt, niſi vt ſymptomata maxime periculoſa diutius detineant *h*), qua mora fortaſſe alia remedia ad cauſſam primariam pellendam idonea, inuenire poſſimus. Ceterum in aliis etiam morbis, quibus plane nulla ſubeſt hydrops, medicamen ſaluberrimum eſt Digitalis. Vim ſimul ſuam ita exſerit in corde, et illius motum ita coercet, vt etiam in aliam finem eam ſalutarem fore, ſuſpicari poſſimus; quoniam nulli remedio alii, praeter illam, tanta et tam valida ineſt efficacia *i*). Quod ſi haec in vnum colligas; vt Digitalis praeſtantiam intelligas, eamque ob maximi momenti effectus, magni aeſtimes neceſſe eſt *), praeſertim, cum, ſi nos fallit hoc remedium, nullius optatus ſit expectandus ſucceſſus *k*); et hoc remedium doſi conſtituta ac modo deſcripto datum, vrinam leniter ſecernit, ita vt minorem, ſcilla, aut alio medicamine efficaci, corpori perturbationem et moleſtiam adferat *l*). Si igitur Digitalis hanc indolem et efficaciam penitus perſpexerimus conſiderauerimusque, illi inter omnia hucusque cognita diuretica, eaque efficaciſſima, praeſtantiam debere, facile patebit.

Quae cum ita ſint, nonne illi maximas habere debemus gratias, qui primus, remedium tam ſaluberrimum nobiscum liberaliter communicauit? —

§. XXIV.

h) L. c. Nr. 6.

i) L. c. Nr. 8-9. pag. 192.

*) Cl. Quarin etiam in quadam hydropis ſpecie efficacem Digitalem, cum aliis remediis coniunctam, reperit pag. 121.

k) L. c. Nr. 4.

l) L. c. Nr. 5.

H

§. XXIV.

Equidem vt mihi ipſis in aegrotantibus plura inſtituere licuiſſet experimenta, optaſſem, quae nunc addere poſſem, ſed hoc mihi non contigit. Vnus tantummodo mihi ſeſe obtulit caſus, qui reſpectu experimentorum, quae Vir Cl. Witheringius tentauit, multitudinis, pro nihilo eſt habendus. Quamuis autem euentus eius votis non ſatis reſpondit meis, eum tamen hic addam; quoniam, Digitalem in aſcite adhibitam rariſſime aliquid proficere, praecipue confirmare et extra omnem videtur ponere dubitationem, ſi aegroti ea videlicet eſt conditio, quam Witheringius deſcripſit.

Fridericus Alborn e pago Lengelern ad praefecturam Harſtae pertinente ortus, et viginti quatuor annos natus, et qui texturam didicerat lintearium, ſimulque militiae nomen dederat; ſatis ſecunda et ſtabili valetudinis conſtitutione frui videbatur, et, vt ipſe confeſſus eſt, a parentibus robuſtis et ſanis procreatus, ſemper corporis ſanitate erat gauiſus. Is ante annum de ſymptomatibus hydropem incipientem indicantibus queſtus eſt: remedia idonea ac malo conuenientia viſa adhibebantur. Sed ſatis proſpero deficiebant effectu ſucceſſuque, abdomen magis magisque indies ita tumeſcebat, vt paracenteſis abdominis inſtitui deberet: hac peracta, remedia quaeuis, partim roborantia partim hydropi reſpondentia, fruſtra adhibebantur, et breui temporis ſpatio interiecto, abdomen in priſtinam et immenſam extenſum eſt magnitudinem. In hac miſerrima poſitus conſtitutione aeger ille noſocomium noſtrum acceſſit, et cura ſanitatis eius reſtituendae, mihi eſt demandata. Vrina pauca itemque fuſca, alui deiectio naturali conueniens erat, paululum tamen fluidior, cibi cupiditatem habuit mediocrem, ſitim exiguam, imo nullam. Absque omni difficultate in quauis corporis parte aegrotus iaçere potuit, pulſus retinuit iuſtum pul-

pulfandi modum non admodum celerem. Haec quidem prognofis, quam his in rebus fic conftitutis nobis conciliare potuimus, non optima, fed potius infauftiffima effe videbatur. Morbi enim pertinacia, cum nullum adhibitorum remediorum quidquam proficeret, et aqua nulla depromi poffet ratione; deinde proximae cauffae infcitia; aduerfus quam agendum fuiffet, tam repentina, mox poft operationem factam, aquae accumulatio, bonum exfpectare euentum non permiferunt, praeterea aegrotantis ftatus vnus idemque erat, in quo iam Cl. Witheringius non felicem Digitalis, cuius efficaciae in hoc malo periculum facere mihi in animo erat, fperandum effe euentum enunciauit. Abdomen illi erat durum, extenfum. Aegroto ipfi multum naturalis roboris fupererat, fibrae ftrictae, et cutis calida. His valde ambiguis rebus Digitalis pulueris quatuor grana fingulis in diebus aegroto danda curaui: et inde a vicefimo fecundo menfis Aprilis anni currentis die, mane duo, meridiano et vefpertino tempore vnum fumfit granum. Hac dofi per nonnullos fumta dies, vrinae fecretio vsque ad dimidium eft aucta: fed haud multo poft rurfus diminuebatur, et nullo modo amplius augeri potuit. Paracentefin abdominis igitur inftituere neceffitate coacti fumus; aquae incrementum autem aliquot poft dies rediens roborantibus aegroto datis remediis impedire non potuimus. — Experimentum fecundum in Digitalis puluere inftitutum minime refpondit votis noftris; abdominis tamen tumor inter eius vfum non amplius eft auctus. Cum igitur ad aegrotum a malo fuo liberandum, hoc medicamen non fufficeret, alia tentauimus remedia; vt funt emetica, purgantia et plura alia; omnia autem, ficuti antea, fefe habuerunt. Cineres modo nicotianae eximiam ei tulerunt opem; haud parua enim copia fecernitur vrina; vnde fanitatis integrae reftitutionem certiffime fperare poffumus.

 HISTO-

HISTORIA MORBI

A

CL. D. BRANDIS

MECVM COMMVNICATA.

N. N. *Boetcher* mercenarius Goettingenſis per plures iam annos leuiori laborabat reſpirandi difficultate quae menſe Martio a. 1786. poſt frigus et inſequentem calorem adeo creuerat, vt aeger lecto affixus vera infeſtaretur orthopnoea. Die 6 Martii eum inueni plurium dierum et noctium agrypnia debilitatum, ſpiritum in ſitu erecto difficillime et ſonorum tantum trahentem, qui omnino intercipiebatur dum corpus reclinaret, valdopere et difficillime tuſſientem cum ſputo copioſiſſimo mere aquoſo, per diem plures libras ſuperante, Praecordia tenſa non ſine fluctuationis veſtigio, quibus leuiter tantum preſſis tuſſis grauiter augebatur. Dolorem vagum in ſcapulis et humeris querebatur et manus ſubtumeſcebant. Ex primis viis nullum ſordium veſtigium. Pulſus perquam debilis et inaequalis adeo vt grauiora mala ex eo praedixeris. Morbi cauſam vix aliam detegere potui, niſi tranſpirationem forſan ſuppreſſam; Aquam in ſubſtantia pulmonum collectam ſuſpicabar, et dum primae viae nullam curationis indicium ſuppeditarent, diureticis morbum impugnare decreui. Pulueris inde fol. Digitalis pur-

pureae

pureae gr. II. bis de die aegro praefcripfi, et vt eorum vim eo tutius obferuare poffem nullum aliud medicamentum adiunxi.

D. 8. mart. paulo melius habere aeger credebat, etfi vrinae copia nondum aucta videretur, pulfus maior et magis aequalis, refpiratio quidem adhuc fonora et difficilis, reclinanti tamen non omnino fupprimebatur, tuffis difficilis adhuc et continue fere infeftans magnam aquae copiam euacuabat.

D. 10. omnia fymptomata mitiora apparuerunt fomnus placidus per plures noctis horas, nonnunquam tantum phantasmatibus interruptus, refpiratio facilior multo minus fonora, tuffis humida frequens, pulfus fere naturalis aequalis: vrina nunc copiofior fecedebat, ita vt ipfe aeger ad duplum faltem auctam eam exiftimaret; dolorem querebatur in pectore, non tamen valde grauem nec noua mala minitantem. Vt impatienti aegro plura medicamenta a me efflagitanti fatisfacerem pilulas praefcripfi ex fucco glycyrrhizae ad drachmam de die dimidiam et radices graminis Cichorei etc. pro potu ordinario decoquendas; puiueris fol. Digit. purpureae vfum autem femper continuandum imperabam. Infequente die pilulae id effecerant quod aeger ab eis certe expectabat, aluum nempe pluries deiecerant! Omnia fymptomata mitiora; tuffis adhuc frequens fputa copiofa, vrina multo adhuc copiofior ita vt de effectu Digit. vix dubitare liceret. Sic omnia praeter pilulas continuabantur, quae ob fingularem in aegrum vim purgantem mittebantur, vsque ad d. 14tum Mart. quo aeger grauiorem pectoris dolorem tuffim difficiliorem querebatur, cui vt fubleuarem quouis vefpere opiatum ex TR. Thebaica propinabam, fol. Dig. purpureae tamen femper continuabam. Hifce medicamentis vsque ad d. 27 Martii continuatis aeger ple-

narie reſtitutus ad labores reuertebatur, et ad hunc diem 21 Julii ſanus viuit.

In duobus aliis aegris vim diureticam Digitalis purpureae expertus ſum, non ita tamen vt ei tanta tribuere poſſim. Alter iuuenis ſtudioſus hydrope laborabat articuli in genu dextro, quem medicamentis praeſertim externis veſicatoriis ſaepiſſime repetitis et fumigationibus volatilibus aggrediebar, ſimul tamen diuretica interna adhibui non ſine fructu, et inter ea fol. Dig. purpureae quae vt ipſe aeger in omnibus ſymptomatibus obſeruandis diligentiſſimus aſſeuerabat, vrinam melius ciebant quam antea data ſalia diuretica, leniora ſquillitica rad. ſenegae etc. quae antea praeſcripſeram. Alter faber lignarius hydrope pectoris et aſcite manifeſte laborabat, cum oedemate pedum et dolore in ſcapulis, poſt vſum gr. XXIV. circiter fol. Digit. purpureae oedema pedum diſparuit et aeger multo melius ſe habere credebat, vrinae copiam tamen auctam non obſeruauerat, quod tamen negligentiae hominis rure degentis forſan adſcripſeris. Finem morbi obſeruare non contigit, cum ruſticus non amplius ad nos veniret.

In alia aegra in clinico noſtro adhibitam eſſe Digitalem ſcio, quae aſcite laborabat, ſed vix aliquem effectum ab vllo diuretico in eius morbo proteiformi expectauerim, qui ex pertinaciſſimis obſtructionibus vaſorum coeliacorum ortus, morbum nigrum, cardialgias diriſſimas, aſcitem, ipſumque hydropem pectoris produxerat, et aegram hyſtericam per plures annos lecto iam detinuerat. Vrinae excretionem tamen inde auctam eſſe a medico curante audiui.

Haec

Haec ſunt quae tibi doctiſſime Candidate de Digitalis vi diuretica a me ipſo obſeruata communicare poſſum. Non ſufficiunt fateor, vt eam extra omnem dubitationis aleam ponere poſſint, ſed aliquid ſaltem contribuere poſſe puto, vt ab aliis medicis experimenta continuentur.

I. D. Brandis,

Med. Doct.

THE-

THESES.

I.

Male efficacia emeticorum ad ſordium ex primis viis eliminationem reſtringitur.

II.

Tuto aliquando cortex peruuianus in inflammationibus adhibetur.

III.

Eruptio petechiarum nihil critici ſecum ſert.

IV.

Placentae ſolutio naturali in caſu, viribus tantummodo naturae eſt relinquenda.

V.

Dyſenteriae cauſſa proxima eſt acrimonia rheumatica.

VI.

Fluxus hepaticus nihil aliud eſſe videtur, niſi haemorrhoides inteſtinorum tenuium.

VII.

Lingua impura non ſemper ſibi vindicat euacuantia.

VIII.

Epilepſiae cauſſa proxima in primis viis ſaepiſſime latet.